

B.

Münsterscher Friedensvertrag zwischen dem Kaiser und Frankreich.

IN NOMINE SACROSANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS, AMEN.

Notum sit universis et singulis, quorum interest aut quomodolibet interesse potest; Postquam a multis annis orta in Imperio Romano dissidia, motusque Civiles eo usque increverunt, ut non modo universam Germaniam, sed et aliquot finitima Regna, potissimum vero Galliam ita involverint, ut diuturnum et acre exinde natum sit bellum: Primo quidem inter Serenissimum et Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum FERDINANDUM II. Electum Romanorum Imperatorem semper Augustum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Regem, Archi-Ducem Austriae, Ducem Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carintiae, Carniolae, Marchionem Moraviae, Ducem Luxemburgiae, Superioris ac Inferioris Silesiae, Wurtembergae et Teckae, Principem Sueviae, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Kyburgi et Gorisiae, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviae, ac Superioris et Inferioris Lusatiae, Dominum Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis et Salinarum, inclitae memoriae, cum suis Foederatis et Adhaerentibus ex unâ: et Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum LUDOVICUM XIII., Galliarum et Navarrae Regem Christianissimum, inclitae memoriae, eiusque Foederatos et Adhaerentes ex altera parte. Deinde post eorum e vita discessum, inter Serenissimum et Potentissimum Principem et Dominum, Dominum FERDINANDUM III. Electum Romanorum Imperatorem semper Augustum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Regem, Archi-Ducem Austriae, Ducem Burgundiae, Brabantiae Styriae, Carintiae, Carniolae, Marchionem Moraviae, Ducem Luxemburgiae, Superioris ac Inferioris Silesiae, Wurtembergae et Teckae, Principem Sueviae, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Kyburgi et Goritiae, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviae, ac Superioris et Inferioris Lusatiae, Dominum Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis et Salinarum, cum suis Foederatis et Adhaerentibus ex unâ; et Sere-

nissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum LUDOVICUM XIV., Galliarum et Navarrae Regem Christianissimum, eiusque Foederatos et Adhaerentes ex altera parte; unde multa sanguinis Christiani effusio, cum plurimarum Provinciarum desolatione secuta est. Tandem Divinâ bonitate factum esse, ut annitente Serenissimâ Republicâ Venetâ, cuius Consilia difficillimis Christiani Orbis temporibus publicae salutis et quieti nunquam defuere, utrinque de Pace universali suscepta sit cogitatio, in eumque finem ex mutuâ partium conventionione, Hamburgi die 25^a stylo novo, vel die 15. stylo veteri Decembris, Anno Domini Millesimo sexcentesimo quadragesimo primo inita, constituta sit dies undecima stylo novo, vel prima stylo veteri Mensis Iulii, Anno Domini 1643 congressui Plenipotentiariorum Monasterii et Oznaburgis Westphalorum instituendo: Comparescentes igitur statuto tempore et loco utrinque legitime constituti Legati Plenipotentarii, à parte quidem Imperatoris Illustrissimi et Excellentissimi Domini, Dominus Maximilianus, Comes à Trautmansdorff et Weinsberg, Baro in Gleichenberg, Neostadii ad Cocrum, Negau, Burgau, et Tozenback, Dominus in Teinitz, Eques Aurei Velleris, Consiliarius Secretus et Camerarius Sacrae Caesareae Maiestatis, eiusque Aulæ Supremus Praefectus, Dominus Ioannes Ludovicus Comes à Nassau, Catzenlembogen, Vianden et Dietz, Dominus in Beilstein, Consiliarius Secretus Imperatoris, et Eques Aurei Velleris Dominus Isaacus Volmar, J. V. D. Serenissimi Domini Archiducis Ferdinandi Caroli Consiliarius, eiusque Camerae Praeses. A parte verò Regis Christianissimi, Celsissimus Princeps, Dominus Henricus d' Orleans, Dux de Longueville, et d' Estouteville, Princeps et Supremus Comes de Neufchastel, Comes de Dunois et de Tancarville, Conestabilis haereditarius Normanniae, eiusdemque Provinciae Gubernator et locum tenens Generalis, Centum Catafractorum Equitum Dux et Ordinum Regionum Eques, etc., Illustrissimi item ac Excellentissimi Domini, Dominus Claudius de Mesmes, Comes d'Avaux, dictorum Ordinum

Commendator, unus ex Praefectis Aerarum Regii et Regni Gallici Minister. Et Dominus Abel Servien, Comes de la Roche, des Aubiers, etiam unus ex Regni Gallici Ministris, Interventu et operâ Illustrissimi et Excellentissimi Legati Senatorisque Veneti, Domini Aloisii Contareni, Equitis, qui Mediatoris munere procul à partium studio totos penè quinque annos impigrè perfunctus est, post invocatum Divini Numinis auxilium, mutasque Plenipotentiarum tabulas (quarum appographa sub finem huius Instrumenti de verbo ad verbum inserta sunt) ritè commutatas, praesentibus, suffragantibus, et consentientibus Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus, ac Statibus, ad Divini Numinis gloriam et Christianae Reipublicae salutem, in mutuas Pacis et amicitiae leges consenserunt et convenerunt, tenore sequenti.

Pax sit Christiana, universalis et perpetua, veraque et sincera Amicitia inter Sacram Maiestatem Cæsaream et Sacram Maiestatem Christianissimam, nec non inter omnes et singulos Fœderatos et Adhærentes dictæ Maiestatis Cæsareæ, Domum Austriacam eorumque Hæredes et Successores, præcipuè verò Electores, Principes et Status Imperii ex una: et omnes et singulos Fœderatos dictæ Maiestatis Christianissimæ, eorumque Hæredes ac Successores. Imprimis Serenissimam Reginam Regnumque Sueciæ, ac respectivè Electores, Principes Statusque Imperii ex altera parte. Eaque ita sincerè seriòque servetur et colatur, ut utraque pars alterius utilitatem, honorem ac commodum promoveat, omnique ex parte et Universi Romani Imperii, cum Regno Galliarum, et vicissim Regni Galliarum cum Romano Imperio fida vicinitas et secura studiorum Pacis atque amicitiae cultura revirescant et reforescant.

Sit utrinque perpetua oblivio et Amnistia omnium eorum, quæ ab initio horum motuum, quocumque loco modòve, ab una vel altera parte ultrò citròque hostiliter facta sunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei causa vel prætextu alter alteri posthac quidquam hostilitatis aut inimicitiae, molestiae vel impedimenti, quoad personas, statum, bona vel securitatem per se vel per alios, clam aut palam, directè vel indirectè, specie iuris aut viâ facti in Imperio, aut uspiam extra illud (non obstantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus) inferat vel inferri faciat, aut patiat, sed omnes et singulæ hinc inde tam ante bellum, quàm in bello, verbis, scriptis aut factis illatæ iniuriæ, violentiæ, hostilitates, damna, expensæ absque omni personarum rerumve re-

spectu, ita penitus abolitæ sint, ut quidquid eo nomine alter adversus alterum prætereundum posset, perpetuà sit oblivione sepultum.

Et ut eò syncerior Amicitiae mutuae securitas inter Imperatorem, Regem Christianissimum, Electores, Principes et Status Imperii posthac servetur (salvo assecurationis articulo infra descripto) alter alterius hostes praesentes aut futuros, nullo unquam titulo vel prætextu, vel ullius controversiae bellive ratione, contra alterum armis, pecuniâ, milite, commeatu aliterve invet, aut ullis copiis, quæ contra aliquem huius Pacificationis consortem à quocumque duci contigerit, receptum, stativa, transitum indulgeat. Circulus quidem Burgundicus sit maneatque membrum Imperii, post controversias inter Galliam Hispaniamque sopitas hæc Pacificatione comprehensus. Bellis tamen in eo iam vertentibus, nec Imperator nec ullus Imperii Status se immisceat. In futurum verò si inter ea Regna controversiæ oriantur, firma semper maneat inter universum Imperium et Reges Regnumque Galliarum, de mutuis hostibus non iuvandis, supradictae reciprocae obligationis necessitas; singulis tamen Statibus liberum sit, huic illive Regno extra Imperii limites suppetias ferre, non tamen aliter, quàm secundum Imperii Constitutiones.

Controversia Lotharingica vel arbitris utrinque nominandis submittatur, vel Tractatu Gallo-Hispanico, vel aliâ amicabili viâ componatur, liberumque sit tam Imperatori, quàm Electoribus, Principibus et Statibus Imperii eius compositionem amicabili interpositione aliisque pacificiis officiis iuvare ac promoveri, non tamen armis aut bellicis mediis.

Iuxta hoc amicitiae mutuae et universalis Amnistiae fundamentum, universi et singuli Sacri Romani Imperii Electores, Principes, Status, (comprehensâ immediata Imperii Nobilitate) eorumque Vassalli, Subditi, Cives et incolæ, quibus occasione Bohemiarum, Germaniarum motuum vel Fœderum hinc inde contractorum, ab una vel altera parte aliquid præiudicii aut damni quocumque modo vel prætextu illatum est, tam quoad ditiones et bona feudalia, subfeudalia et allodialia, quàm quoad dignitates, immunitates, Iura et privilegia restituti sunt plenariè in eum utrinque statum in sacris et prophanis, quo ante destitutionem gavisii sunt, aut iure gaudere potuerunt, non obstantibus, sed annullatis quibuscumque interim in contrarium factis mutationibus.

Quod si restituendorum Bonorum et Iurium Possessores exceptionibus se iustis munitos

existimaverint, eæ quidem restitutionem neutiquam impediunt, hæc tamen peractâ coram competenti Iudice examinentur et discutiantur.

Et quamvis ex hac præcedenti regula generali facillè diiudicari possit, qui et quatenus restituendi sint, tamen ad instantiam aliquorum de quibusdam gravioris momenti causis, prout sequitur, specialiter mentionem fieri placuit, ita tamen, ut, qui expresse non nominati vel expuncti sunt, propterea pro omnis vel exclusis non habeantur.

Cum Arrestum, quod mobilibus ad Principem Electorem Trevirensensem spectantibus, et in Ducatum Luxemburgensem translatis Imperator per Consilium Provinciale antehac imponi curavit, relaxatum quidem et abolitum, attamen ad quorundam instantiam iterum renovatum, insuper etiam sequestrum Præfecturæ Bruch ad Archi-Episcopatum, et medietate Domini sancti Ioannis, ad Ioannem Reinhardum de Soëtern spectantis à præfato Consilio indictum est, Concordatis inter Electoratum Trevirensensem et Ducatum Burgundiæ publicâ Imperii interventione Anno 1548 Augustæ Vindelicorum erectis repugnet: Conventum est, ut prædictum Arrestum et sequestrum à Concilio Luxemburgensi quantociùs tollatur, dicto Domino Electori bona sua, Præfectura et Dominium, tam Electoralia quàm Patrimonialia unâ cum fructibus sequestratis relaxentur et tradantur, ac si quid fortè amotum fuerit, reponatur, plenèque atque integrè restituatur, impetrantibus ad Iudicem Principis Electoris in Imperio competentem, pro obtinenda iuris et iustitiæ administratione, remissis.

Quod autem ad Castra Ehrnbreistein (!) et Hamerstein attinet, Imperator tempore et modo infrâ in Article Executionis definitis, praesidia inde deducet aut deduci curabit, illaque castra in manus Domini Electoris Trevirensis, eiusdemque Capituli Metropolitani pari potestate pro Imperio et Electoratu custodienda tradet, quo nomine et Capitaneus et novum praesidium ibi ab Electore constituendum iuramento fidelitatis pro ipso eiusque Capitulo pariter obstringi debebunt.

Deinde verò causam Palatinam Conventus Monasteriensis et Osnabrugensis eò deduxit, ut eâ de re iam diu mota lis diremta sit modo sequenti:

Et primò quidem, quod attinet Domum Bavaricam, Dignitas Electoralis, quam Electores Palatini antehac habuerunt, cum omnibus Re-

galiis, Officiis, Præcedentiis, insigniis et iuribus quibuscunque ad hanc dignitatem spectantibus, nullo prorsus excepto, ut et Palatinatus Superior totus, unâ cum Comitatu Cham, cum omnibus eorum appertinentiis, Regaliis ac iuribus, sicut hactenus, ita et imposterum maneant penes Dominum Maximilianum Comitem Palatinum Rheni, Bavariae Ducem, eiusque Liberos, totamque Lineam Guilhelmicam, quamdiu masculi ex eâ superstites fuerint.

Vicissim Dominus Elector Bavariae, pro se, hæredibus ac successoribus suis, totaliter renuntiet debito tredecim millionum, omnique prætensioni in Austriam Superiorem, et statim à publicata Pace, omnia Instrumenta desuper obtenta, Cæsareæ Maiestati ad cassandum et annullandum extradat.

Quod ad Domum Palatinam attinet, Imperator cum Imperio publicæ tranquillitatis causâ consentit, ut vigore præsentis Conventionis institutus sit Electoratus Octavus, quo Dominus Carolus Ludovicus Comes Palatinus Rheni, eiusque hæredes et agnati totius Lineæ Rodolphinae, iuxta ordinem succedendi in Aurea Bulla expressum, deinceps fruuntur, nihil tamen iuris, præter simultaneam investituram ipsi Domino Carolo Ludovico, aut eius successoribus, ad eâ, quæ cum dignitate Electorali Domino Electori Bavariae, totique Lineæ Guilhelmicæ attributa sunt, competat.

Deinde, ut Inferior Palatinatus totus cum omnibus et singulis Ecclesiasticis et Secularibus bonis, iuribusque et appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos Electores Principesque Palatini gavisii sunt, omnibusque Documentis, Regestis, rationariis et cæteris actis huc spectantibus, eidem plenariè restituantur, cassatis iis, quæ in contrarium acta sunt, idque autoritate Cæsareæ effectum iri, ut neque Rex Catholicus, neque ullus alius, qui exinde aliquid tenet, se huic restitutioni ullo modo opponat.

Cum autem certæ quædam Præfecturæ Stradæ Montanæ antiquitus ad Electorem Moguntinensem pertinentes, Anno demum 1463 pro certâ pecuniæ summa Palatinis, cum pacto perpetuæ relictionis impignoratae fuerint, ideò conventum est, ut hæ Præfecturæ penes modernum Dominum Electorem Moguntinensem, eiusque in Archiepiscopatu Moguntinensi Successores permaneant, dummodo pretium pignorationis sponte oblatum, intra terminum executioni conclusæ Pacis præfixum, paratâ pecuniâ exsolvat, cæterisque, ad quæ iuxta tenorem literarum oppignorationis tenetur, satisfaciatur.

Electori quoque Trevirensi tanquam Episcopo Spirensi, Episcopo item Wormatiensi, iura quæ prætendunt in Bona quædam Ecclesiastica, intra Palatinatus Inferioris Territorium sita, coram competenti Iudice prosequi liberum esto, nisi de his inter utrumque Principem amicè conveniatur.

Quod si verò contigerit Lineam Guilhelmanam Masculinam prorsus deficere, superstite Palatinâ, non modo Palatinatus Superior, sed etiam dignitas Electoralis, quæ penes Baviaræ Duces fuit, ad eosdem superstites Palatinos, interim simultanea investiturâ gavisuros, redeat, octavo tunc Electoratu prorsus expungendo. Ita tamen Palatinatus Superior hoc casu ad Palatinos superstites redeat, ut hæredibus alodialibus Electoris Baviaræ actiones et beneficia, quæ ipsis ibidem de iure competunt, reservata maneant.

Pacta quoque gentilitia inter Domum Electoralem Heydelbergensem et Neoburgicam, à prioribus Imperatoribus, super Electorali successione confirmata, ut et totius Lineæ Rudolphinæ Iura, quatenus huic dispositioni contraria non sunt, salva rataque maneant.

Ad hæc si quæ Feuda Iuliacensia aperta esse competenti viâ iuris evictum fuerit, ea Palatinis evacuentur.

Præterea ut dictus Dominus Carolus Ludovicus aliquatenus liberetur onere prospiciendi Fratribus de appennagio, Cæsarea Maiestas ordinabit, ut dictis suis Fratribus quadringenta Imperialium talerorum milliâ, intra quadriennium, ab initio anni venturi 1649 numerandum expendantur, singulisque annis centena millia solvantur, unâ cum annuo censu quinque de centum computatis.

Deinde tota Domus Palatina, cum omnibus et singulis, qui ei quocunque modo addicti sunt aut fuerunt, præcipuè verò Ministri, qui ei in hoc Conventu, aut aliâ operam suam navârunt, ut et omnes Palatinatus exules fruantur amnistia generali suprâ descriptâ, pari cum cæteris in ea comprehensis iure et hac transactione singulariter, in puncto Gravaminum plenissimè.

Vicissim Dominus Carolus Ludovicus cum Fratribus Cæsareæ Maiestati obedientiam et fidelitatem, sicut cæteri Electores Principesque Imperii, præstet, ac insuper Palatinatui Superiori pro se et hæredibus suis, tum ipse tum eius Fratres, donec ex Linea Guilhelmana hæ-

redes legitimi et masculi superfuerint, renuncient.

Cum autem de eiusdem Principis Viduæ Matri, Sororibusque præstando Victualitio et dote constituenda mentio iniiceretur, pro benevolo Sacræ Cæsareæ Maiestatis in Domum Palatinam affectu promissum est, dictæ Viduæ Matri pro Victualitio semel pro semper, viginti talerorum Imperialium millia, singulis autem Sororibus dicti Domini Caroli Ludovici, quando nuptum elocatae fuerint, dena talerorum Imperialium millia, nomine Suæ Maiestatis exsolutum iri, de reliquo verò ipsis idem Princeps Carolus Ludovicus satisfacere teneatur.

Comites in Laininghen et Daxbourg, sæpè dictus Dominus Carolus Ludovicus eiusque successores in Palatinatu Inferiori, nulla in re turbet, sed iure suo à multis retro seculis obtento, et à Cæsaribus confirmato, quietè ac pacifice uti frui permittat.

Liberam Imperii Nobilitatem per Franconiâ, Sueviam et Tractum Rheni, cum districtibus appertinentibus, in suo statu immediato inviolatè relinquat.

Feuda etiam ab Imperatore in Baronem Gerhardum de Waldenbourg, dictum Schenckherm (!), Nicolaum Georgium Raigersperg Cancellarium Moguntinum, et Henricum Brömser Baronem de Ruydesheim, item ab Electore Baviaræ in Baronem Joannem Adolphum Wolff, dictum Metternich, collata, rata maneant, teneantur tamen eiusmodi Vassalli Domino Carolo Ludovico, velut Domino directo, eiusque Successoribus, Iuramentum fidelitatis præstare atque ab eodem Feudorum suorum renovationem petere.

Augustanæ Confessionis Consortibus, qui in possessione Templorum fuerant, interque eos Civibus et incolis Oppenheimensibus, servetur Status Ecclesiasticus Anni 1624 cæterisque id desideraturis Augustanæ Confessionis exercitium, tam publicè in Templis ad statas horas, quàm privatim in ædibus propriis aut alienis ei rei destinatis, per suos aut vicinos verbi divini ministros peragere liberum esto.

Paragraphi „Princeps Ludovicus Philippus, Princeps Fredericus, et Princeps Leopoldus Ludovicus,“ hic eodem modo inserti intelligantur, prout in Instrumento Cæsareo-Suedico continentur.

Controversia, quæ vertitur inter Episcopos respectivè Bambergensem et Herbipolensem, ac Marchiones Brandenburgicos, Culmbachi et

Onoltzbachi de Castro, Oppido, Præfectura et Monasterio Kitzeingen (!) in Franconia ad Menum, aut amabili compositione aut summario iuris processu terminetur intra biennium, sub pœna perdendæ prætensionis imponendâ tergiversanti; interim dictis Dominis Marchionibus restituatur nihilominus fortalitium Wiltzburg in eum statum, qui tempore traditionis descriptus fuit, ex conventionem et promisso.

Conventio inita circa alimenta Domini Christiani Vilhelmi Marchionis Brandenburgici huc repetita censeatur; prout continetur Articulo dècimo quarto Instrumenti Cæsareo-Suedici.

Rex Christianissimus tempore et modo inferius definitis circa deductionem præsidiorum, restituet Duci Wirtembergico Civitates et fortalitia Hohenwiel (!), Schorendorff, Tubinghen, aliaque omnia loca sine ulla reservatione, quæ in Ducatu Wirtembergico præsidiiis suis tenet. In reliquis paragraphus „Domus Wirtembergica“ sicut in Instrumento Cæsareo-Suedico insertus est, hic insertus intelligatur.

Principes quoque Wirtembergici Lineæ Montpelgartensis restituantur in omnes suas Ditiones in Alsatia vel ubicumque sitas et nominatim in duo Feuda Burgundica, Clerval et Passavant, et ab utraque parte redintegrentur in eum statum, iura et prærogativas, quibus ante initium horum bellorum gavisi sunt.

Fridericus Marchio Badensis et Hachbergensis, eiusque filii et hæredes, cum omnibus, qui iisdem quocumque modo inservierunt, aut adhuc dum inserviunt, cuiuscumque nominis aut conditionis sint, gaudeant et fruantur suprâ Articulo secundo et tertio descriptâ Amnistiâ cum omnibus suis Clausulis et Beneficiis, eiusque vigore restituantur plenissimè in eum statum in Sacris et Prophanis, in quo ante exortos Bohemiæ motus fuit Dominus Georgius Fridericus Marchio Badensis et Hachbergensis, quoad Marchionatum Inferiorem Badensem, qui vulgò sub appellatione Baden-Durlach venit; Itemque quoad Marchionatum Hachbergensem, tum etiam quoad Ditiones Röttelen, Badenweiler et Sausemberg, non obstantibus, sed annullatis quibuscumque interim in contrarium factis mutationibus. Deinde restituantur Marchioni Frederico Præfecturæ Stein et Renchingen, absque onere æris alieni interea temporis à Marchione Guilhelmo contracti, ratione fructuum, interesse, ac sumptuum per transactionem Ettlingæ Anno Domini 1629 initam, dicto Guilhelmo Marchioni Badensi cessâ, cum omnibus Iuribus, Documentis literariis, aliisque pertinen-

tiis, ita ut tota illa actio sumptuum, ac fructuum perceptorum et percipiendorum, cum omni damno et interesse, à tempore primæ occupationis numerando, sublata et penitus extincta sit. Annua quoque pœnsitatio ex Marchionatu Inferiori, Marchionatui Superiori pendi solita, virtute præsentium penitus sublata, annullata et annihilata sit, nec eo nomine quicquam vel de præterito, vel de futuro, imposterum unquam prætendatur vel exigatur; Alternetur etiam imposterum inter utramque Lineam Badensem, Inferioris scilicet et Superioris Marchionatus Badensis Præcedentia et Sessio in Comitibus et Circuli Suevici, aliisque universalibus vel particularibus Imperii, aut quibuscunque Conventibus, pro nunc tamen eadem præcedentiâ penes Marchionem Fridericum, dum superstes erit, permanente.

De Baronatu Hoengerolzeck conventum est, ut si Domina Principissa Badensis prætensa sua iura in dicto Baronatu Documentis Authenticis sufficienter probaverit, restitutio statim post latam desuper sententiam fiat cum omni causa omnique iure vigore Documentorum competentis. Cognitio autem hæc finiatur à die publicatæ Pacis intra biennium. Nullæ denique actiones, transactiones vel exceptiones, generales vel speciales clausulæ in hoc Instrumento Pacis comprehensæ, (quibus omnibus per expressum et in perpetuum vigore huius derogatum sit) ab unâ vel alterâ parte ullo unquam tempore contra hanc specialem conventionem allegentur vel admittantur.

Paragraphi „Dux de Croy etc. Quod controversiam Nassau-Seigen (!), etc. Comitibus Nassau-Sarepontanis, etc. Domus Hanoica, etc. Ioannes Albertus Comes Solmensis, etc. Itemque restituatur Domus Solmz,¹⁾ etc. Comites de Isenburg, etc. Rhingravii, etc. Vidua Domini Ernesti, Comitibus Sainensis, etc. Castrum et Comitatus Falchenstein, etc. Restituatur etiam Domus Waldeck, etc. Ioachimus Ernestus, Comes Ottingensis, etc. Item Domus Hoenloica, etc. Fredericus Ludovicus, etc. Ferdinandus Carolus, etc. Domus Erbacensis, etc. Vidua et Hæredes Comitibus à Brandenstein, etc. Baro Paulus Keuenhüller, etc.“ hic iisdem verbis inserti intelligantur, prout in Instrumento Cæsareo-Suedico continentur.

Contractus, permutationes, transactiones, obligationes et instrumenta debiti, vi metuve seu Statibus seu subditis illicitè extorta, prout in specie queruntur Spira, Wisemburgum ad Rhenum, Landavia, Reutlingen, Hailbrunna,

¹⁾ Dahinter Hoemzolsms geführten.

aliique, ut redemptæ cessæque actiones abolitæ atque ita annullatæ sunt, ut ullum iudicium actionemve eo nomine intentare minimè liceat. Quod si verò debitores instrumenta crediti vi metuve creditoribus extorserint, ea omnia restituantur, actionibus desuper salvis.

Debita sive emptionis, venditionis, annuorum reddituum, sive alio nomine vocentur, si ab una alterave belligerantium parte in odium creditorum violenter extorta sint, contra debitores, veram violentiam et realem solutionem intercessisse allegantes, et se ad probandum offerentes, nulli Processus executivi decernantur, nisi his exceptionibus præviâ plenariâ causæ cognitione decisis. Processu desuper instituto à Pacis publicatione intra biennium finiendi sub pœna perpetui silentii contumacibus debitoribus imponenda. Processus autem hactenus eo nomine contra ipsos decreti, unâ cum transactionibus et promissionibus, pro futura creditorum restitutione factis, tollantur et enerventur, salvis tamen iis pecuniarum summis, quæ flagrante bello pro aliis ad avertenda maiora eorum pericula et damna bono animo et intentione erogatæ sunt.

Sententiæ tempore belli de rebus mere secularibus pronunciatæ, nisi processus vitium et defectus manifestè pateat, vel in continenti demonstrari possit, non quidem omnino sint nullæ, ab effectu tamen rei indicatæ suspendantur: donec acta Iudicialia (si alterutra pars intra semestre ab inita Pace spatium, petiverit revisionem) in Iudicio competenti modo ordinario vel extraordinario in Imperio usitato revideantur, et æquabili iure ponderentur, atque ita dictæ sententiæ vel confirmentur, vel emendantur, vel, si nulliter latæ sint, planè rescindantur.

Si quæ etiam Feuda Regalia vel privata ab Anno 1618 non fuerant renovata, nec interim eorum nomine præstita servitia, nemini id fraudi esto, sed tempus repetendæ Investituræ à die factæ Pacis cedere incipiat.

Tandem omnes et singuli tam bellici Officiales militesque, quam Consilarii et Ministri togati Civiles et Ecclesiastici, quocunque nomine aut conditione censentur, qui uni alterive parti, earumdemve Fœderatis aut Adhærentibus, togâ vel sago militârunt, a summo ad infimum, ab infimo ad summum, absque ullo discrimine vel exceptione, cum uxoribus, liberis, hæredibus, successoribus, servitoribus, quoad personas et bona in eum vitæ, famæ, honoris, conscientiæ, libertatis, Iurium et Privilegiorum statum, quo

ante dictos motus gavisii sunt, aut iure gaudere potuerunt, utrinque restituti sunt, nec eorum personis aut bonis ullum creator præiudicium, ullave actio vel accusatio intentator, multò minus ulla pœna damnumve quocumque prætextu irrogator. Et hæc quidem omnia quoad illos, qui Cæsareæ Majestatis et Domus Austriacæ subditi et vassalli non sunt, plenissimum effectum habeant.

Qui vero subditi et Vassalli hæreditarii Imperatoris et Domus Austriacæ sunt, eadem gaudeant Amnistiâ, quoad personas, vitam, famam et honores, habeantque securum redditum in pristinam patriam, ita tamen, ut se teneantur accommodare legibus patriis, Regnorum et Provinciarum.

Quantum autem eorumdem bona concernit, si ea, antequam in Coronæ Galliæ Sueciæ partes transierunt, confiscatione aut alio modo amissa fuere, etsi Plenipotentarii Suedici diu multumque institerant, ut iis etiam illa restituerentur, tamen cum Sacrae Cæsareæ Maiestati hac in re ab aliis nihil præscribi, nec ob Cæsareanorum constantem contradictionem aliter transigi potuerit, Ordinibusque Imperii ea propter bellum continuari è re Imperii non fuerit visum, porro quoque amissa sunt ac modernis possessoribus permanente.

Illa vero bona, quæ ipsis post, eam ob causam, quod pro Gallis aut Suecis contra Cæsarem Domumque Austriacam arma sumpsissent, erepta sunt, iisdem, qualia nunc sunt, absque refusione tamen sumptuum et fructuum perceptorum, aut damni dati restituantur.

De caetero in Bohemia aliisque quibuscumque Provinciis hæreditariis Imperatoris, Augustanæ Confessioni addictis subditis vel creditoribus, eorumve hæredibus pro privatis suis prætentionibus, si quas habent, et earum nomine actiones intenderint aut prosequi fuerint, ius et iusticia æquè ac Catholicis citra respectum administretur.

A dicta tamen universali restitutione excepta sunt, quæ restitui vel redhiberi nequeunt, mobilia et se moventia, fructus percepti, autoritate belligerantium partium interversa, itemque tam destructa, quàm publicæ securitatis causâ in alios usus conversa aedificia publica et privata, sacra et profana, nec non deposita publica vel privata hostilitatis intuitu confiscata, legitimè vendita, spontè donata.

Quia vero etiam causa Iuliacensis Successionis inter interessatos, nisi praeveniat,

magnas aliquando turbas in Imperio excitare posset: Ideò conventum est, ut ea quoque Pace confectâ ordinario processu coram Caesarea Maiestate, vel amabili compositione vel alio legitimo modo sine mora dirimatur.

Cum etiam ad maiorem Imperii tranquillitatem stabiliendam, de controversiis circa bona Ecclesiastica et libertatem Exercitii Religionis, his ipsis de Pace universali Congressibus certa quaedam compositio inter Caesarem, Electores, Principes et Status Imperii inita, atque Instrumento Pacis cum Plenipotentariis Reginae et Coronae Sueciae erecto inserta fuerit, placuit eandem compositionem, ut et illam, de qua inter eosdem ratione eorum, qui Reformati vocantur, convenit, praesenti quoque Tractatu firmare et stabilire, eo planè modo, ac si de verbo ad verbum huic inserta legeretur Instrumento.

Circa causam Hasso-Cassellanam conventum est, ut sequitur:

Primo omnium, Domus Hasso-Cassellana, omnesque eius Principes, maxime Domina Amelia Elizabetha Hassiae Lantgravia, eiusque filius, Dominus Wilhelmus, illorumque Haeredes, Ministri, Officiales, Vassalli, subditi, milites et alii quocumque modo illis addicti, nullo prorsus excepto, non obstantibus contrariis Pactis, Processibus, Proscriptionibus, Declarationibus, Sententiis, Executionibus et Transactionibus, sed illis omnibus ut et actionibus vel praetensionibus ratione damnorum et iniuriarum, tam neutralium quam belligerantium, annullatis, Universalis Amnistiae supra sancitae, et ad initium Belli Bohemici, cum plenaria restitutione reductae (exceptis Caesariae Maiestatis et Domus Austriae Vassallis et subditis haereditariis, quemadmodum de iis in paragrafo „Tandem omnes, etc.“ disponitur) omniumque beneficiorum ex hac et Religiosa Pace provenientium pari cum caeteris Statibus iure, prout in Articulo incipiente, „Unanimi,“ etc. disponitur, plenariè participes sunt.

Secundò, Domus Hasso-Cassellana eiusque successores Abbatiam Hirsfeldensem cum omnibus appertinentiis Secularibus et Ecclesiasticis, sive intra, sive extra Territorium (ut Praepositura Gellingen) sitis, salvis tamen iuribus, quae Domus Saxonica à tempore immemoriali possidet, retineant, et eo nomine Investituram à Caesarea Maiestate toties, quoties casus evenierit, petant et fidelitatem praestent.

Tertio, Ius directi et utilis Dominii in Praefecturas Schaumburg, Bükenburg, Saxen-

hagen et Statthagen, Episcopatus Mindano antehac assertum et adiudicatum, porro ad Dominum Wilhelmum modernum Hassiae Lantgravium, eiusque Successores, plenariè in perpetuum citra ulteriorem dicti Episcopatus, aut alterius cuiusvis contradictionem aut turbationem pertineat, salvâ tamen transactione inter Christianum Ludovicum Ducem Brunsvico-Luneburgensem et Hassiae Lantgravium, Philippumque Comitem de Lippe initâ. Firmâ etiam manente, quae inter eandem Lantgraviam et dictum Comitem inita est Conventione.

Conventum praeterea est, ut pro locorum hoc bello occupatorum restitutione, et indemnitate causa Dominae Lantgraviae Hassiae Tutrici, eiusque filio, huiusve Successoribus Hassiae Principibus, ex Archiepiscopatibus Moguntinensi et Coloniensi, Episcopatibus item Paderbornensi, Monasteriensi et Abbatia Fuldensi sexies centena millia Talerorum Imperialium, bonitate Imperialibus Constitutionibus modernis correspondentium, intra spatium novem Mensium à tempore Ratificationis Pacis computandum, Cassellis solventium periculo et sumptibus pendantur, nec contra promissam solutionem ulla exceptio ullusve praetextus admittatur, multò minus summa conventa ullo arresto afficiatur.

Ut etiam Domina Lantgravia de solutione tanto securior sit, sequentibus conditionibus retineat Neuz, Coesfeld et Neuhaus, inque iis locis sua, sibique solum obligata praesidia habeat, eâ quidem lege, ut praeter Officiales et alias personas in praesidiis necessarias dictorum trium locorum praesidia coniunctim non excedant numerum mille ducentorum peditum, et centum equitum, Dominae Lantgraviae dispositioni relicto, quot cuivis dictorum locorum peditum et equitum imponere, quemve huic vel illi praesidio praeficere velit.

Praesidia autem secundum ordinationem de sustentatione Officialium et militum Hassiacis hactenus consuetam alantur, et quae ad conservanda fortalitia necessaria sunt, praestentur ex Archiepiscopatibus et Episcopatibus, in quibus dicta Arx et Civitates sunt sitae, absque summae suprâ nominatae diminutione. Integrum autem sit ipsis Praesidiis contra morosos et tardantes, sed non ultra debitam summam exequi. Iura autem Superioritatis, et Iurisdicctio tam Ecclesiastica quam Secularis, et redditus nominatarum Arcis et Civitatum Domino Archiepiscopo Coloniensi sint salva.

Quam primum vero post ratificatam pacem Dominae Lantgraviae trecenta millia tale-

rorum Imperialium fuerint exsoluta, restitutâ Neussia, retineat Coesfeld solum et Neuhaus, ita tamen, ut praesidium Neussianum in Coesfeld et Neuhaus non deducat, vel eius nomine quicquam ulterius exigat, nec praesidia in Coesfeld numerum sexcentorum peditum et quinquaginta equitum, in Neuhaus autem centum peditum excedant. Sin autem intra terminum novem Mensium Dominae Lantgraviae integra summa non dependatur, non tantum Coesfeld et Neuhaus, donec plenaria subsecuta fuerit solutio, sed etiam pro residuo summae, eiusque singulis centenis quinque annuatim Imperiales, donec residuum summae exsolutum fuerit, pensionis nomine solvantur, et tot Praefectarum ad supra nominatos Archi- et Episcopatus, atque Abbatiam pertinentium, et Hassiae Principatui vicinarum, quot praestandis et exsolvendis pensionibus sufficiunt. Quaestores et Receptores Dominae Lantgraviae Iuramento obstringantur, ut de redditibus annuas residuae summae pensiones solvant, non obstante Dominorum suorum prohibitione. Quod si verò Quaestores et Receptores in solvendo moras nectant, aut redditus aliò conferant, Domina Lantgravia exequendi, et ad solutionem quovis modo illos adigendi, liberam habeat potestatem, de reliquo iure territoriali Domino proprietatis interea semper salvo.

Simulac verò Domina Lantgravia totam summam cum pensionibus à tempore morae acceperit, restituat. Illicò loca iam denominata cautionis loco interim retenta, pensiones cessent, et Quaestores atque Receptores, quorum facta fuit mentio, Iuramenti nexu sint liberati. Quarum autem Praefectarum redditus pensionibus contingente morâ solvendis sint assignandi, ante Ratificationem Pacis eventualiter conveniet, quae conventio non minoris sit roboris, quam ipsum Pacis Instrumentum.

Praeter loca autem securitatis causâ, ut memoratum, Dominae Lantgraviae relinquenda, et post solutionem demum restituenda, restituat illa nihilominus, Ratificatione Pacis subsecutâ, omnes Provincias et Episcopatus, nec non illorum Urbes, Praefecturas, Oppida, Fortalitia, propugnacula et omnia denique bona immobilia, nec non iura inter haec bella ab ipsa occupata, ita tamen, ut tam in praefatis tribus locis, cautionis nomine retinendis, quam reliquis omnibus restituendis, non solum Annonam et omnia ad bellicum apparatus spectantia, quae inferri vel fieri curavit, per subditos evehenda Dominae Lantgraviae et supradictis Successoribus, quae vero ab ipsa non illata, sed in locis occupatis tempore occupationis reperta sunt, et

adhuc extant, ibi permaneant, sed ut etiam Fortificationes et Valla, durante occupatione extracta, eatenus destruantur, ne tamen Urbes, Oppida, Arces vel Castra cuiusvis invasionibus et deprædationibus pateant.

Et quamvis Domina Lantgravia praeterquam ab Archi- et Episcopatibus Moguntinensi, Coloniensi, Paderbornensi, Monasteriensi et Abbatia Fuldensi, à nemine restitutionis et indemnitis loco aliquid poposcerit, et sibi eo nomine à quoquam alio quicquam solvi omninò noluerit, pro rerum tamen et circumstantiarum aequitate placuit toti Conventui, ut salvâ manente dispositione Paragraphi praecedentis, inchoantis: „Conventum praeterea est, etc.“ etiam ceteri Status, cuiuscunque generis cis et ultra Rhenum, qui prima Martii huius anni Hassiacis Contributionem dependerunt, secundum proportionem Contributionis exsolutae toto hoc tempore observatam ad conficiendam summam superius positam et militum praesidiariorum sustentationem, ratam suam supra nominatis Archi- et Episcopatibus atque Abbatiae conferant, et damnum, si quod solventes ob unius vel alterius moram perpassi fuerint, morosi resarciant, nec Executionem contra tergiversantes instituendam Caesariae Maiestatis aut Regiae Maiestatis Christianissimae, vel etiam Hassiae Lantgraviae Officiales aut Milites impendant, neque etiam fas sit Hassiacis quemquam in praeiudicium huius declarationis eximere, ii verò, qui rite suam quotam persolverint, ab omni eatenus onere liberi erunt.

Quod controversias inter Domos Hassiacas, Cassellanam et Darmstadinam, super Successione Marpurgensi agitas attinet, quandoquidem eae Cassellis die decima quarta mensis Aprilis proximè elapsi, consensu partium unanimi accedente penitus sunt compositae: Placuit Transactionem istam, cum suis annexis et recessibus, sicut ea Cassellis inita et à partibus subsignata fuit, Conventuique huic insinuata vigore Instrumenti huius, eiusdem plane esse roboris, ac si verbis totidem hisce tabulis inserta comprehenderetur, nec à partibus transigentibus, nec aliis quibuscvis sub praetextu sive pacti, sive Iuramenti, sive alio quocunque, ullo unquam tempore convelli posse, quinimò ab omnibus, etiamsi aliquis ex Interessatis eam fortè confirmare detrectet, exactissimè observari debere.

Sicut etiam Transactio inter defunctum Dominum Wilhelmum Hassiae Lantgravium, et Dominos Christianum et Wolradum Comites Waldecciae, die undecima Aprilis Anno 1635 facta, et à Domino Georgio Hassiae Lantgravio

die 14. Aprilis Anno 1648 ratificata, non minus vigore huius Pacificationis perpetuum et plenissimum robur obtinebit, omnesque Hassiae Principes pariter ac Comites Waldeckiae obligabit.

Firmum quoque maneat et inviolabiliter custodiatur Ius Primogeniturae in qualibet Domo Hassiae Cassellana et Darmstadina introductum, et à Caesarea Maiestate confirmatum.

Cum item Caesarea Maiestas ad querelas nomine Civitatis Basileensis et universae Helvetiae coram ipsius Plenipotentariis ad praesentes congressus deputatis propositas super nonnullis Processibus et mandatis executivis, a Camera Imperiali contra dictam Civitatem, aliosque Helvetiorum unitos Cantones, eorumque cives et subditos emanatis, requisitâ Ordinum Imperii sententiâ et consilio, singulari Decreto die decima quarta Mensis Maii anno proximè praeterito declaraverit, praedictam Civitatem Basileam caeterosque Helvetiorum Cantones in possessione vel quasi plenae libertatis et exemptionis ab Imperio esse ac nullatenus eiusdem Imperii Dicasteriis et Iudiciis subiectos; placuit hoc idem publicae huic Pacificationis Conventioni inserere, ratumque et firmum manere, atque idcirco eiusmodi processus unâ cum arrestis eorum occasione quancumque decretis prorsus cassos et irritos esse debere.

Ut autem provisum sit, ne posthac in statu politico controversiae suboriantur, omnes et singuli Electores, Principes et Status Imperii Romani in antiquis suis iuribus, praerogativis, libertate, privilegiis, libero iuris territorialis tam in Ecclesiasticis quàm Politicis Exercitio, Ditionibus, Regalibus, horumque omnium possessione, vigore huius Transactionis ita stabiliti firmatique sunt, ut à nullo unquam sub quocumque praetextu de facto turbari possint vel debeant.

Gaudeant sine contradictione iure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, praesertim ubi leges ferendae vel interpretandae, bellum decernendum, tributa indicienda, delectus aut hospitaliones militum instituendae, nova munimenta intra Statuum Ditiones extruenda nomine publico, veterave firmanda praesidiis, nec non ubi pax aut foedera facienda, aliave eiusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum suffragio et consensu, cum primis verò ius faciendi inter se et cum exteris foedera pro

sua cuiusque conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuò liberum esto, ita tamen, ne eiusmodi foedera sint contra Imperatorem et imperium, Pacemque eius publicam, vel hanc imprimis Transactionem, fiantque salvo per omnia iuramento, quo quisque Imperatori et Imperio obstrictus est.

Habeantur autem Comitia Imperii intra sex menses à dato ratificatae Pacis, postea verò, quoties id publica utilitas aut necessitas postulaverit. In proximis vero Comitiiis emendantur imprimis anteriorum Conventuum defectus, ac tum quoque de Electione Romanorum Regum, certa constantique Caesarea Capitulatione concipienda, de modo et ordine in declarando uno vel altero Statu in Bannum Imperii, praeter eum, qui aliàs in Constitutionibus Imperii descriptus est, tenendo, redintegrandis Circulis, renovandâ Matricula, reducendis Statibus exemptis, moderatione et remissione Imperii collectarum, reformatione politicae et iusticiae, taxae sportularum in Iudicio Camerali, ordinariis Deputatis ad modum et utilitatem Rei publicae ritè formandis, legitimo munere Directorum in Imperii Collegiis, et similibus negotiis, quae hic expediri nequiverant, ex communi Statuum consensu agatur et statuatur.

Tam in universalibus verò quàm particularibus Diaetis, liberis Imperii Civitatibus non minus quàm caeteris Statibus Imperii competat votum decisivum, iisque rata et intacta maneant Regalia, vectigalia, redditus annui, libertates, privilegia confiscandi, collectanti, et inde dependentia, aliaque Iura ab Imperatore et Imperio legitime impetrata, vel longo usu antehos motus obtenta possessa et exercita, cum omnimoda iurisdictione intra muros et in territorio, cassatis, annullatis et in futurum prohibitis iis, quae per represalias, arresta, viarum occlusiones et alios actus praeiudiciales, sive durante bello quocumque praetextu in contrarium facta, et propria autoritate hucusque attentata sunt, sive dehinc nullo praecedente legitimo iuris et executionis ordine, fieri attentarive poterunt. De caetero omnes laudabiles consuetudines et Sacri Romani Imperii Constitutiones et leges fundamentales imposterum religiosè servantur, sublatis omnibus, quae bellorum temporum iniuriâ irrepserant, confusionibus.

De indaganda aliqua ratione et modo aequitati conveniente, qui persecutiones actionum contra debitores ob bellicas calamitates fortunis lapsos, aut nimio usurarum cursu aggravatos, moderatè terminari, indeque nascituris

maioribus incommodis etiam tranquillitati publicae noxiis obviam iri possit, Caesarea Maiestas curabit exquiri tam Iudicii Aulici quam Cameralis vota et consilia, quae in futuris Comitibus proponi et in constitutionem certam redigi possint. Interea tamen temporis in huiusmodi causis ad iudicia cum summa Imperii tum singularia Statuum delatis circumstantiae à partibus allegatae benè ponderentur, ac nemo executionibus immoderatis praegravetur; sed haec omnia Holsatiae constitutione salvâ et illaesa.

Et quia publice Interest, ut factâ Pace commercia vicissim reforescant, ideò conventum est, ut, quae eorum praeiudicio et contra utilitatem publicam hinc inde per Imperium, belli occasione noviter propriâ autoritate, contra iura, privilegia et sine consensu Imperatoris atque Electorum Imperii invecta sunt Vectigalia et Telonia, ut et abusus Bullae Brabantinae, indeque natae represaliae et arresta, cum inductis peregrinis certificationibus, exactionibus, detentionibus, itemque immoderata Postarum, omniaque alia inusitata onera et impedimenta, quibus commerciorum et navigationis usus deterior redditus est, penitus tollantur, et Provinciis, Portubus, Fluminibus quibuscunque sua pristina securitas, iurisdictio et usus, prout ante hos motus bellicos a pluribus retrò annis fuit, restituantur, et inviolabiliter conserventur.

Territoriorum, quae flumina alluunt, et aliorum quorumcumque iuribus ac privilegiis, ut et Teloniis ab Imperatore de consensu Electorum cum aliis, tum etiam Comiti Oldemburgensi in Visurgi concessis, aut usu diuturno introductis, in pleno suo vigore manentibus et executioni mandandis, tum ut plena sit commerciorum libertas, et transitus ubique locorum terrâ marique tutus, adeoque ea omnibus et singulis utriusque partis Foederatorum Vassallis, subditis, clientibus et incolis eundi, negotiandi, redeundique potestas data sit, virtuteque praesentium concessa intelligatur, quae unicuique ante Germaniae motus passim competeat: quos etiam Magistratus utrinque contra iniustas oppressiones et violentias instar propriorum subditorum defendere ac protegere teneantur, hac conventionem, ut et iure legeque cuiusque loci per omnia salvis.

Quo magis autem dicta pax atque amicitia inter Imperatorem et Christianissimum Regem firmari possit, et securitati publicae melius prospiciatur, ideo de consensu, consilio et voluntate Electorum, Principum et Statuum Imperii pro bono Pacis conventum est:

Primo, Quod supremum Dominium, Iura Superioritatis, aliaque omnia in Episcopatus Metensem, Thullensem et Virodunensem, Urbesque cognomines eorumque Episcopatum districtus, et nominatim Moyenvicum, eo modo, quo hactenus ad Romanum spectabant Imperium, imposterum ad Coronam Galliae spectare, eique incorporari debeant in perpetuum et irrevocabiler, reservato tamen iure Metropolitano ad Archiepiscopatum Trevirensem pertinente.

Restituatur in Possessionem Episcopatus Virodunensis Dominus Franciscus Lotharingiae Dux tanquam legitimus Episcopus, et hunc Episcopatum pacificè administrare, eiusque sicuti et suarum Abbatiarum (salvo Regis et cuiuscunque privati iure) nec non bonorum suorum patrimonialium ubicunque sitorum iuribus (quatenus praedictae cessioni non repugnant) privilegiis, redditibus et fructibus uti frui permittatur, dummodo prius praestiterit Regi iuramentum fidelitatis, nihilque moliatur adversus Suae Maiestatis Regnique commoda.

Secundo, Imperator et Imperium cedunt transferuntque in Regem Christianissimum eiusque in Regno Successores ius directi Domini, Superioritatis, et quodcunque aliud sibi et sacro Romano Imperio hactenus in Pinarolum competeat, et competere poterat.

Tertio, Imperator pro se totaque Serenissima Domo Austriaca, itemque Imperium cedunt omnibus iuribus, proprietatibus, dominiis, possessionibus ac iurisdictionibus, quae hactenus sibi, Imperio et Familiae Austriacae competeant in Oppidum Brisacum, Lantgraviatum Superioris et Inferioris Alsaciae, Suntgoviam, Praefecturamque Provinciale decem Civitatum Imperialium in Alsatia sitarum, scilicet Hagenau, Colmar, Schlettstat, Weissenburg, Landau, Obernheim, Roshaim, Münster in Valle S. Gregorii, Keisersberg, Turinckhaim, omnesque Pagos, et alia quaecunque iura, quae à dicta Praefectura dependent, eaque omnia et singula in Regem Christianissimum Regnumque Galliarum transferunt, ita ut dictum Oppidum Brisacum cum Villis Hochstatt, Niderrimsing, Harten et Acharren, ad communitatem Civitatis Brisacensis pertinentibus, cumque omni Territorio et banno, quatenus se ab antiquo extendit, salvis tamen eiusdem Civitatis Privilegiis et immunitatibus antehac à Domo Austriaca obtentis et impetratis.

Itemque dictus Lantgraviatus utriusque Alsaciae et Suntgovia; tum etiam Praefectura Provincialis in dictas decem Civitates et loca

dependentia, itemque omnes Vassalli, Landsasii, subditi, homines, oppida, castra, villae, arces, sylvae, forestae, auri, argenti, aliorumque mineralium fodinae, flumina, rivi, pascua, omniaque iura, Regalia et appertinentiae, absque ulla reservatione cum omnimoda iurisdictione et Superioritate, supremoque Dominio àmodò in perpetuum ad Regem Christianissimum, Coronamque Galliae pertineant, et dictae Coronae incorporata intelligantur, absque Caesaris, Imperii, Domusque Austriacae vel cuiuscunque alterius contradictione. Adeo ut nullus omnino Imperator aut Familiae Austriacae Princeps quicquam iuris aut potestatis in eis praememoratis partibus cis et ultra Rhenum sitis, ullo unquam tempore praetendere vel usurpare possit aut debeat. Sit tamen Rex obligatus in eis omnibus et singulis locis Catholicam conservare Religionem, quemadmodum sub Austriacis Principibus conservata fuit, omnesque, quae durante hoc bello novitates irrepserunt, remove.

Quarto, Christianissimae Maiestati eiusque in Regno Successoribus de consensu Imperatoris, totiusque Imperii, perpetuum ius sit tenendi praesidium in Castro Philipsburg protectionis ergò, ad convenientem tamen numerum restrictum, qui Vicinis iustam suspicionis causam praebere non possit, sumptibus duntaxat Coronae Galliae sustentandum. Patere etiam debet Regi liber transitus per terras et aquas Imperii ad inducendos milites, commeatum, et caetera omnia, quibus et quoties opus fuerit.

Rex tamen praeter protectionem, praesidium et transitum in dictum Castrum Philipsburg nihil ulterius praetendit, sed ipsa proprietas, omnimoda iurisdiction, possessio, omniaque emolumenta, fructus, accessiones, iura, Regalia, servitutes, homines, subditi, vassalli, et quicquid omnino antiquitus ibidem et in totius Episcopatus Spirensis, Ecclesiarumque illi incorporatarum districtu Episcopo et Capitulo Spirensi competeat, et competere poterat, eisdem in posterum quoque salva, integra et illaesa, excepto tamen iure protectionis, permaneat.

Imperator, Imperium, et Dominus Archidux Oenipontanus Ferdinandus Carolus respective exsolvant Ordines, Magistratus, Officiales et subditos singularum supradictarum Ditionum, ac locorum, vinculis et sacramentis, quibus hucusque sibi, Domuique Austriacae obstricti fuerant, eosque ad subiectionem, obedientiam et fidelitatem Regi Regnoque Galliae praestan-

dam remittunt, obligantque; atque ita Coronam Galliae in plena iustaque eorum superioritate, proprietate, et possessione constituunt, renunciantes omnibus in ea iuribus ac praetensionibus ex nunc in perpetuum, idque pro se, suisque posteris Imperator, dictus Dominus Archidux, eiusque Frater, (quatenus praedicta cessio ad ipsos pertinet) peculiari diplomate tum ipsi confirmabunt, tum efficient, ut à Rege Hispaniarum Catholico eadem quoque renuntiatio in authenticâ formâ extradatur. Quod et Imperii totius nomine fiet, quo die subsignabitur praesens Tractatus.

Ad maiorem supra dictarum cessionum et alienationum validitatem, Imperator et Imperium, vigore praesentis transactionis expressè derogant omnibus et singulis praedecessorum Imperatorum, Sacrique Romani Imperii Decretis, Constitutionibus, Statutis et Consuetudinibus, etiam Iuramento firmatis aut imposterum firmandis, nominatimque Capitulationi Caesareae, quatenus alienatio omnimoda bonorum et Iurium Imperii prohibetur, simulque in perpetuum excludunt omnes exceptiones et restitutionis vias, quocumque tandem iure titulo fundari possent.

Conventum est insuper, ut praeter promissam hic inferius à Caesare et Imperii Statibus ratihabitionem, in proximis quoque Comitibus ex abundanti ratae sint supradictarum Ditionum iuriumque abalienationes, ac proinde, si in Caesarea Capitulatione pactio, vel in Comitibus propositio deinceps fiat de occupatis distractivè Imperii bonis ac iuribus recuperandis, ea non complectatur aut complecti intelligatur res supra expressas, utpote ex communi Ordinum sententia pro publica tranquillitate in alterius Dominium legitime translatae, atque easdem in hunc finem ab Imperii matricula expungi placet.

Statim a restitutione Renfeldae aequabuntur solo eiusdem oppidi munitiones, nec non adiacentis fortalitii Rheinau, sicuti quoque Tabernarum Alsaciae, Castri Hoenbar et Neoburgi ad Rhenum, neque in praedictis locis ullus miles praesidiarius haberi poterit.

Magistratus et incolae dictae Civitatis Tabernarum neutralitatem accuratè servent, pateatque illac Regio militi, quoties postulatum fuerit, tutus ac liber transitus. Nullae ad Rhenum munitiones in citeriori ripa extrui poterunt Basileâ usque Philipsburgum, neque ullo molimine deflecti aut interverti fluminis cursus ab una alterave parte.

Quod ad aes alienum attinet, quo Camera Ensishemiana gravata est, Dominus Archi-Dux Ferdinandus Carolus recipiet in se cum ea parte Provinciae, quam Rex Christianissimus ipsi restituere debet, tertiam omnium debitorum partem sine distinctione, sive chirographaria, sive hypothecaria sint, dummodo utraque sint in forma authentica, et vel specialem hypothecam habeant sive in Provincias cedendas, sive in restituendas, vel, si nullam habeant, in libellis rationariis receptorum ad Cameram Ensishemianam respondentium usque ad finem Anni 1632 agnita, atque inter debita et credita illius recensita fuerint, et pensationum annuarum solutio dictae Camerae incuberit, eamque dissolvat, Regem pro tali quota indemnem penitus praestando.

Quae vero Debita Collegiis Ordinum ex singulari per Austriacos Principes, cum ipsis in Diaetis Provincialibus inita conventionem attributa, aut ab ipsis Ordinibus communi nomine contracta sunt, iisque solvenda incumbunt, debet inter eos, qui in Ditionem Regis veniunt, atque illos, qui sub Dominio Domus Austriacae remanent, iniri conveniens distributio, ut unaquaeque pars sciat, quantum sibi aeris alieni dissolvendum restet.

Rex Christianissimus restituet Domui Austriacae, et in specie supradicto Domino Archiduci Ferdinando Carolo primogenito quondam Archiducis Leopoldi Filio, quatuor Civitates Sylvestres, Rheinfelden, Seckingen, Lauffenberg Waltshut, cum omnibus Territoriis et Balivatibus, Villis, Pagis, Molendinis, Sylvis, Forestis, Vassallis, Subditis, omnibusque appertinentiis cis et ultra Rhenum. Itemque Comitatum Hauenstein, Sylvam nigram, totamque Superiorem et Inferiorem Brisgoviam, et Civitates in ea sitas antiquo iure ad Domum Austriacam spectantes, scilicet Neuburg, Freyburg, Endingen, Kenzingen, Waldkürch, Willingen, Breñlingen, cum omnibus Territoriis. Item cum omnibus Monasteriis, Abbatibus, Praelaturis, Praepositis, Ordinibus Equestrium Comendatariis, cum omnibus Balivatibus, Baronatibus, Castris, Fortalitiis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Vassallis, hominibus, subditis, fluminibus, rivis, forestis, sylvis, omnibusque Regaliis, iuribus, iurisdictionibus, Feudis et patronatibus, caeterisque omnibus et singulis ad sublime Territorii Ius patrimoniumque Domus Austriacae in toto isto tractu antiquitus spectantibus. Totam item Ortnaviam, cum Civitatibus Imperialibus Offenburg, Gengenbach et Cella ahm Haemersbach, quatenus scilicet Prae-

fecturae Ortnaviensi obnoxiae sunt, adeò, ut nullus omnino Rex Franciae quicquam iuris, aut potestatis in his praememoratis partibus, cis et ultra Rhenum sitis, ullo unquam tempore praetendere, aut usurpare possit aut debeat, ita tamen, ut Austriacis Principibus praedicta restitutione nihil novi iuris acquiratur. Libera sint in universum inter utriusque Rheni ripae et Provinciarum utrinque adiacentium incolas, commercia et commeatus: Imprimis verò libera sit Rheni navigatio, ac neutri parti permissum esto, naves transeuntes descendentes aut ascendentes impedire, detinere, arrestare aut molestare, quocunque praetextu, solà inspectione, quae ad perscrutandas, aut visitandas merces fieri consuevit, excepta. Nec etiam liceat nova et insolita vectigalia, pedagia, passagia, datia, aut alias eiusmodi exactiones ad Rhenum imponere, sed utraque pars contenta maneat vectigalibus et datiiis ordinariis ante hoc bellum sub Austriacorum gubernatione ibidem praestare solitis.

Omnes Vassalli, Landsasi, Subditi, Cives, Incolae, quicumque cis et ultra Rhenum Domui Austriacae, sicut etiam illi, qui immediatè Imperio subiecti erant, vel alios Imperii Ordines ut Superiores recognoscunt, non obstante qualicumque confiscatione, translatione, donatione per quoscumque belli Duces aut Praefectos militiae Suedicae aut Confoederatorum post occupatam Provinciam facta, perque Regem Christianissimum ratificata, aut proprio motu decreta, statim post publicatam Pacem bonis suis immobilibus et stabilibus, sive corporalia sive incorporalia sint, villis, castris, oppidis, fundis, possessionibus restitui debent, citra ullam exceptionem meliorationum, expensarum, sumptuum compensationum, quas moderni possessori quomodolibet obicere possent, et citra restitutionem mobilium ac se moventium, et fructuum perceptorum. Quod verò ad confiscationes rerum, pondere, numero, et mensurà consistentium exactiones, concussiones, atque extortiones intuitu belli factas attinet, earum repetitio ad amputandas lites utrimque penitus cassata et sublata esto.

Teneatur Rex Christianissimus non solum Episcopos Argentinensem et Basiliensem, cum Civitate Argentinensi, sed etiam reliquos per utramque Alsatiā Romano Imperio immediatè subiectos Ordines, Abbates Murbacensem et Luderensem, Abbatissam Andlaviensem, Monasterium in Valle S. Gregorii Benedictini Ordinis, Palatinos de Luzelstain, Comites et Barones de Hanau, Fleckenstain, Oberstain, totiusque

Inferioris Alsatiæ Nobilitatem, Item praedictas decem Civitates Imperiales, quæ Praefecturam Hagenoensem agnoscunt, in ea libertate et possessione Immedietatis erga Imperium Romanum, quâ hactenus gavisæ sunt, relinquere: Ita ut nullam ulterius in eos Regiam superioritatem praetendere possit, sed iis iuribus contentus maneat, quaecumque ad Domum Austriacam spectabant, et per hunc Pacificationis Tractatum Coronæ Galliae ceduntur. Ita tamen, ut praesenti hâc declaratione nihil detractum intelligatur de eo omni supremi Domini iure, quod suprâ concessum est.

Item, Rex Christianissimus pro recompensatione partium ipsi cessarum, dicto Domino Archiduci Ferdinando Carolo solvi curabit tres Milliones Librarum Turonensium annis proximè sequentibus, scilicet, 1649 50 et 51 in Festo sancti Ioannis Baptistæ, quolibet anno tertiam partem in moneta bona et proba Basileae, ad manus Domini Archiducis eiusve Deputatorum.

Praeter dictam pecuniae quantitatem Rex Christianissimus tenebitur in se recipere duas tertias debitorum Camerae Ensishemianae, sine distinctione, sive chirographaria, sive hypothecaria sint, dummodo utraque sint in forma authentica, et vel specialem hypothecam habebant, sive in Provincias cedendas, sive in restituendas, vel si nullam habeant, in libellis rationariis receptorum ad Cameraam Ensishemianam respondentium usque ad finem Anni 1632 agnita, atque inter credita et debita illius recensita fuerint, et pensionum annuarum solutio dictae Camerae incubuerit, easque dissolvat, Archiducem pro tali quota prorsus indemnem praestando, utque id aequius fiat, delegabuntur ab utraque parte Commissarii statim à subscripto Tractatu Pacis, qui ante primae pensionis solutionem convenient, quanam nomina utrique parti expungenda sint.

Curabit Rex Christianissimus praefato Domino Archiduci bonâ fide absque ulla mora et retardatione restitui omnia et singula literaria Documenta, cuiuscumque illa generis sint, quæ terras eidem restituendas concernunt, quatenus quidem in Cancellaria Regiminis et Camerae Ensishemianae, aut Brisaci, vel etiam in custodia Officialium, Oppidorum et Arcium occupatarum reperiuntur.

Quod si talia Documenta sint publica, quæ cessas etiam terras pro indiviso concernunt, de his Archiduci exempla authentica quotiescumque requisierit, edentur.

Item, ne controversiae inter Dominos Sabaudiae et Mantuae Duces, ratione Montisferrati, authoribus inclitae recordationis Ferdinando secundo Imperatore et Ludovico XIII. Galliarum Rege, Suarum Maiestatum Parentibus, definitae et terminatae, in Christianae Reipublicae perniciem aliquando recrudescant, conventum est, quod Tractatus Cherasci 6. Aprilis 1631 cum subsecuta super eodem Ducatu Montisferrati executione, firmus stabilisque in omnibus suis articulis in perpetuum manebit, excepto tamen Pinarolo ac pertinentiis inter Suam Maiestatem Christianissimam ac Dominum Ducem Sabaudiae definitis et Christianissimo Regi Regnoque Galliae acquisitis per peculiare tractatus, qui eadem stabilitate et firmitate consistent in iis omnibus, quæ translationem aut cessionem Pinaroli et pertinentium concernunt: Siquid tamen in dictis peculiaribus tractatibus contineatur, quod Pacem Imperii turbare, vel novos in Italia motus post praesens bellum, quod nunc in illa Provincia geritur, compositum, excitare posset, id nullum et irritum sit, dictâ nihilominus cessione in suo robore permanente cum aliis conditionibus, quæ tam in favorem Ducis Sabaudiae quam Regis Christianissimi conventae sunt. Ideoque et Imperatoria et Christianissima Maiestas vicissim promittunt, se caeteris omnibus tam ad praedictum Tractatum Cherascensem, quam executionem spectantibus, et in specie Albam, Trinum eorumque territoria et reliqua loca, nunquam directè vel indirectè, specie iuris aut viâ facti contraventuras, neque ullo auxilio vel favore contravenientem adiuturas, quinimò communi authoritate datum iri operam, ut ne à quoquam quovis praetextu violetur, cum maxime se obligatum esse declaraverit Rex Christianissimus dicti tractatus executionem omnibus modis promovere, atque etiam armis tueri, eo praesertim fine, ut dictus Dominus Sabaudiae Dux, non obstantibus superioribus clausulis, in pacifica Trini et Albae reliquorumque locorum ipsi per dictum tractatum et investituram subsequentam in Ducatu Montisferrati concessorum et assignatorum possessione semper relinquatur et manuteneatur.

Ut autem omnium dissidiorum et controversiarum semina inter eosdem Duces penitus extirpentur, quadringenta¹⁾ et nonaginta quatuor aureorum millia, quæ inclitae memoriae Christianissimus Rex Ludovicus decimus tercius in exonus Domini Ducis Sabaudiae, se Domino Duci Mantuae soluturum sponndit, Christianissima Maiestas praesenti paratâque pecuniâ dicto

¹⁾ quadringenta corrigitt aut quadraginta.

Domino Duci Mantuae numerari faciet, et propterea Dominum Ducem Sabaudiae eiusque Haeredes et Successores ab ea obligatione omnino relevabit, praestabitque indemnem ab omni petitione, quae ratione vel occasione dictae summae, à dicto Domino Duce Mantuae, vel eius Successoribus fieri posset, adeò ut in posterum eius nomine, colore, ratione aut praetextu Dominus Dux Sabaudiae, haeredes, aut Successores nullam omnino iuris vel facti molestiam aut vexationem à Domino Duce Mantuae, haeredibus aut successoribus eius patiantur. Qui ab hoc die et à modò in antea cum autoritate et consensu Caesareae et Christianissimae Maiestatis, solemini huius publicae Pacis Instrumenti vigore, nullam poenitus in tota hac causa actionem contra Dominum Ducem Sabaudiae eiusque haeredes et successores exercere poterunt.

Caesarea Maiestas decenter requisita concedet Domino Duci Sabaudiae unà cum investitura antiquorum Feudorum et secundum, qualem inclitae memoriae Ferdinandus secundus Duci Sabaudiae Victori Amedeo concesserat, investituram quoque locorum, ditionum, statuum, omniumque iurium Montisferrati, cum appertinentiis, quae illi vigore praedicti Tractatus Cherasicensis, nec non executionis inde subsequutae decreta et remissa fuerunt, sicuti quoque Feudorum novelli Montfortis, Sinii, Montcherii et Castelleti cum appertinentiis, iuxta tenorem Instrumenti acquisitionis ab eodem Duce Victore Amedeo factae sub decimo tertio Octobris 1634 et congruenter concessionibus seu permissionibus, nec non approbationibus Caesareae Maiestatis, cum confirmatione quoque omnium et quorumcunque privilegiorum, quae Sabaudiae Ducibus hactenus indulta fuerunt, quotiescumque à Domino Duce Sabaudiae requirentur et postulabuntur.

Item conventum est, quod Dux Sabaudiae, haeredes et Successores eius nullatenus à Caesarea Maiestate turbentur aut inquietentur in Superioritate, seu iure superioritatis, quod habent in Feudis Rocheverani, Olmi et Caesolae cum appertinentiis, quae à Romano Imperio nullà ratione dependent, et revocatis annullatisque donationibus et investituris in dictorum feudorum possessione seu quasi Dominus Dux manuteneatur, et quatenus opus sit, redintegretur. Parique ratione eiusdem Vassallus Comes Verruve, quoad eadem Feuda Olmi et Caesolae et quartae partis Rocheverani suae possessioni seu quasi restituatur, et in eadem plenissime cum fructibus omnibus redintegretur.

Item conventum est, quod Caesarea Maiestas restitui faciat Comitibus Clementi et Iohanni filiis, nec non et nepotibus ex filio Octaviano Comitibus Caroli Cacherani integrum Feudum Rochae, Arazii cum appertinentiis et dependentibus, quibuscunque non obstantibus.

Similiter declarabit Imperator in investitura Ducatus Mantuae comprehendere Castra Reggioli et Luzzarae cum suis territoriis et dependentiis, quorum possessionem Dux Guastallae Duci Mantuae restituere teneatur, reservatis tamen eidem iuribus pro sex millibus scutorum annuorum, quae praetendit; de quibus agere, et iudicio experiri coram sua Caesarea Maiestate valeat adversus Ducem Mantuae.

Simulatque verò Instrumentum Pacis à Dominis Plenipotentariis et Legatis subscriptum et signatum fuerit, cesset omnis hostilitas, et quae supra conventa sunt, utrinque è vestigio executioni mandentur, utque id melius et citius adimpleatur, sequenti post subscriptionem die Publicatio Pacis fiat more solemini et solito per compita Civitatum Monasteriensis et Ozna-brugensis, post acceptum tamen nuntium, quod subscriptio Tractatus facta fuerit in utroque loco, statimque post Publicationem factam diversi mittantur Cursores ad Duces Exercituum, qui citatis equis simul iter conficiant, dictis Ducibus significant, conclusam esse Pacem, curretque, ut conventa inter ipsos Duces die Pax et cessatio hostilitatum in singulis Exercitibus denuò publicetur, omnibusque et singulis belli Ministris et Civitatum, aut Fortalitiorum Gubernatoribus imperetur, ut ab omni hostilitatum genere in posterum abstineant, ita, ut siquid post dictam Publicationem attentatum, aut vià facti mutatum fuerit, id quamprimum reparari et in pristinum statum restitui debeat.

Convenient inter se utriusque partis Plenipotentarii intra tempus conclusae et ratificandae Pacis de modo, tempore et securitate restitutionis locorum et exauctorationis militiae, ita ut utraque pars secura esse possit, omnia, quae conventa fuerint, sincerè adimpletum iri.

Imprimis quidem Imperator per universum Imperium Edicta promulget, et seriò mandet eis, qui hisce pactis et hac Pacificatione ad aliquid restituendum vel praestandum obligantur, ut sine tergiversatione et noxa intra tempus conclusae et ratificandae Pacis praestent et exequantur transacta, iniungendo tam Directoribus, Aufsehbenden Fürsten, quam Praefectis Militiae Circularis, Crais-Öbristen, ut ad requisitionem restituendorum iuxta ordinem Exe-

cutionis et haec pacta, restitutionem cuiusque promoveant et perficiant. Inseratur etiam Edictis clausula, ut quia Circuli Directores, die *Ausdrückende Fürsten*, aut Praefecti Militiae Circularis, *Crais-Örsten*, in causa vel restitutione propria minus idonei executioni esse censentur, hoc in casu, itemque si Directores vel Praefectum Militiae Circularis repudiare commissionem contingat, vicini Circuli Directores aut Praefecti Militiae Circularis eodem executionis munere etiam in alios Circulos ad restituendum requisitionem fungi debeant.

Quod si etiam restituendorum aliquis Caesareanos Commissarios ad alicuius restitutionis, praestationis vel executionis actum necessarios censuerit, quod ipsorum optioni relinquitur, etiam illi sine mora dentur. Quo casu ut rerum transactarum effectus tantò minus impediatur, tam restituentibus, quam restituendis liceat, statim conclusâ et subscriptâ Pacificatione, binos aut trinos utrinque nominare Commissarios, è quibus Caesarea Maiestas unum à restituendo, alterum à restituente nominatum, pares tamen numero ex utraque Religione eligat, quibus iniungatur, ut omnia, quae vigore huius Transactionis oportet, absque mora exequantur. Sin autem Restituentes Commissarios nominare neglexerint, Caesarea Maiestas ex iis, quos restituendus nominaverit, unum deliget, aliumque pro suo arbitrio, observatâ tamen utrobique diversae Religioni ad dictorum paritate, adiunget, quibus Commissionem executionis demandabit, non obstantibus exceptionibus in contrarium factis. Ipsi deinde restituendi mox à conclusione Pacis de transactorum tenore notum faciant interessatis aliquid restitutus.

Omnes denique et singuli sive Status, sive Communitates, sive privati, sive Clerici, sive Seculares, qui vigore huius transactionis eiusdemque regularum generalium, vel specialis expressaeque alicuius dispositionis ad restituendum, cedendum, dandum, faciendum, aut aliud quid praestandum obstricti sunt, teneantur statim, post promulgata Caesarea Edicta, et factam restituendi notificationem, sine omni tergiversatione vel oppositione clausulae salvatoriae, sive generalis, sive specialis alicuius suprà in Amnistiâ positae, aut quacunque alia exceptione, itemque sine noxa aliqua, omnia, ad quae obligantur, restituere, cedere, dare, facere et praestare.

Nec Directorum et Praefectorum Circularis militiae, aut Commissariorum executioni quicquam, sive Status, sive miles, praesertim prae-

sidiarius, sive quilibet alius sese opponat, sed potius Executoribus assistant, liberumque sit dictis Executoribus contra eos, qui executionem quovis modo impedire conantur, suis vel etiam restituendorum viribus uti.

Deinde omnes et singuli utriusque partis Captivi sine discrimine Sagi vel Togae, eo modo, quo inter Exercituum Duces cum Caesareae Maiestatis approbatione conventum est, vel adhuc convenietur, liberi dimittantur.

Restitutione ex capite Amnistiae et Gravaminum factâ, liberatis captivis et rati habitonibus commutatis, omnia utriusque partis militaria praesidia, sive Imperatoris eiusque Sociorum et Foederatorum, sive Regis Christianissimi et Lantgraviae Hassiae, eorumque Foederatorum et Adhaerentium, aliove quocunque nomine imposita fuerint, ex Civitatibus Imperii ac omnibus aliis locis restituendis, sine exceptionibus, mora, damno et noxa pari passu educantur.

Loca ipsa, Civitates, Urbes, Oppida, Arces, Castella, Fortalitia, tam quae per Regnum Bohemiae aliasque terras Imperatoris, Domusque Austriae haereditarias, quam caeteros Imperii Circulos à partibus belligerantium supradictis occupata et retenta, vel per Armistitii unius vel alterius partis, vel quemcunque alium modum concessa sunt, prioribus et legitimis suis Possessoribus et Dominis, sive mediati sive immediati Imperii Status sint, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, comprehensâ liberâ Imperii Nobilitate, absque mora restituantur, liberaeque eorum dispositioni, sive de iure et consuetudine, sive vigore praesentis transactionis competenti permittantur, non obstantibus ullis donationibus, infeudationibus, concessionibus, (nisi ultrò et spontaneâ Status alicuius voluntate alicui factae sint vel fuerint) obligationibus pro redimendis captivis, aut avertendis devastationibus incendiisque datis, aut aliis quibuscunque titulis, in priorum legitimorum Dominorum possessorumve praeiudicium acquisitis, cessantibus etiam pactis et foederibus, aut quibuscunque aliis exceptionibus praedictae restitutioni adversantibus, quae omnia pro nullis haberi debent. Salvis tamen iis, quae et quatenus in praecedentibus articulis circa satisfactionem Sacrae Maiestatis Christianissimae, ut et quibusdam Imperii Electoribus et Principibus factis concessionibus et aequivalentibus compensationibus aliter excepta et disposita sunt, nec mentio Regis Catholici, et nominatio Ducis Lotharingiae in Instrumento Caesareo-Suedico facta, minus praedicatum

Lantgravii Alsatiae Imperatori attributum, Christianissimo Regi ullum praeiudicium afferant, nec ea, quae circa satisfactionem militiae Suedicae conventa sunt, ullum respectu Suae Maiestatis sortiantur effectum.

Atque haec restitutio locorum occupatorum tam à Caesareâ Maiestate, quam à Rege Christianissimo, et utriusque Sociis, Foederatis et Adhaerentibus fiat reciproce et bonâ fide.

Restituantur etiam Archiva et Documenta Literaria, aliaque mobilia, ut et Tormenta bellica, quae in dictis locis tempore occupationis reperta sunt, et adhuc ibi salva reperiuntur. Quae vero post occupationem aliunde eò invecta sunt, sive in praeliis capta, sive ad usum et custodiam eò per occupantes illata fuerunt, unâ cum annexis, ut et bellico apparatu, iisdem quoque secum exportare et avehere liceat.

Teneantur subditi cuiusque loci discedentibus praesidiis et militibus Currus, Equos et Naves, cum necessario victu, pro omnibus necessariis avehendis ad loca in Imperio destinata absque pretio subministrare, quos Currus, Equos et Naves restituere debent Praefecti praesidiorum militumque hoc modo discedentium, sine dolo et fraude. Liberent etiam Statuum subditi se invicem ab hoc onere vecturae de uno Territorio in aliud, donec ad loca in Imperio destinata pervenerint, nec praesidiorum, aut aliis militiae Praefectis aut Officialibus liceat subditos eorumque Currus, Equos, Naves et similia eorum usibus commodata, omnia vel singula extra Dominorum suorum, multo minus Imperii fines, secum trahere, eoque nomine obsidibus cavere teneantur.

Reddita vero sive maritima sive limitanea, sive mediterranea fuerint dicta loca ab ulterioribus omnibus durantibus hisce bellorum motibus introductis praesidiis perpetuò posthac libera sunt, et Dominorum suorum (salvo de caetero cuiusque iure) liberae dispositioni relinquuntur.

Nulli autem Civitati vel nunc vel in futurum ullo praeiudicio damnove cedat, quod ab alterutra parte belligerantium occupata et in-sessa fuerat, sed omnes et singulae cum omnibus et singulis Civibus et Incolis, tam universalis Amnistiae, quam caeteris huius Pacificationis beneficiis gaudeant, iisque de caetero omnia sua Iura et Privilegia in sacris et prophanis, quae ante hos motus habuerunt, sarta tectaque maneant, salvis tamen iuribus superioritatis, cum inde dependentibus pro singulis quarumcunque Dominis.

Denique omnium belligerantium in Imperio partium Copiae et Exercitus dimittantur et exauctorentur, eo tantum numero in suos cuiusque proprios status traducto, quem quaeque pars pro sua securitate iudicaverit necessarium.

Pacem hoc modo conclusam promittunt Caesarei et Regii, Ordinumque Imperii Legati et Plenipotentarii, respectivè ab Imperatore et Christianissimo Rege Sacrique Romani Imperii Electoribus, Principibus et Statibus, ad formam hic mutuò placitam ratihabitu iri, seseque infalibiliter praestituros, ut solemnia Ratihabitionum Instrumenta intra spatium octo septimanarum à die subscriptionis computandarum Monasterii praesententur, et reciproce ritèque commutentur.

Pro maiori etiam horum omnium et singulorum pactorum firmitudine et securitate sit haec Transactio perpetua Lex et Pragmatica Imperii Sanctio, imposterum aequè ac aliae leges et Constitutiones fundamentales Imperii, nominatim proximo Imperii Recessui, ipsique Capitulationi Caesareae inserenda, obligans non minus absentes, quam praesentes, Ecclesiasticos aequè ac Politicos, sive Status Imperii sint, sive non, eaque tam Caesareis Procerumque Consiliariis et Officialibus, quam Tribunalium omnium Iudicibus et Assessoribus tanquam Regula, quam perpetuo sequantur, praescripta.

Contra hanc Transactionem ullumve eius Articulum aut clausulam nulla Iura Canonica vel Civilia, communia vel specialia, Consiliorum Decreta, Privilegia, Indulta, Edicta, Commissiones, Inhibitiones, Mandata, Decreta, Rescripta, Litispendentiae, quocunque tempore latae Sententiae, res Indicatae, Capitulationes Caesareae, et aliae Religiosorum Ordinum Regulae aut Exemptiones, sive praeteriti, sive futuri temporis Protestationes, Contradictiones, Appellationes, Investiturae, Transactiones, Iuramenta, Renunciationes, Pacta seu dedititia seu alia, multò minus Edictum Anni 1629, vel Transactio Pragensis cum suis appendicibus, aut Concordata cum Pontificibus, aut interimistica Anno 1548, ullave alia Statuta, sive Politica sive Ecclesiastica Decreta, Dispensationes, Absolutiones, vel ullae aliae, quocumque nomine aut praetextu excogitari poterint, exceptiones unquam allegentur, audiantur aut admittantur, nec uspiam contra hanc Transactionem in petitorio aut possessorio, seu inhibitorii seu¹⁾ alii Processus vel commissiones unquam decernantur.

¹⁾ inhibitorii seu fehlt im Abdruck des Stockholmer Exemplars bei v. Meiern.

Qui vero huic Transactioni vel Paci publicae, consilio vel ope contraverit, vel executioni aut restitutioni repugnaverit, vel etiam legitimo modo supra convento et sine excessu facta restitutione, sine legitima causae cognitione et ordinaria Iuris executione, restitutum de novo gravare tentaverit, sive Clericus sive Laicus fuerit, poenam fractae Pacis ipso iure et facto incurrat, contraque eum iuxta Constitutiones Imperii restitutio et praestatio cum pleno effectu decernatur et demandetur.

Pax verò conclusa nihilominus in suo robore permaneat, teneanturque omnes¹⁾ huius Transactionis consortes universas et singulas huius Pacis leges contra quemcunque sine Religionis distinctione tueri et protegere, et si quid eorum à quocumque violari contigerit, laesus laedentem imprimis quidem à via facti dehortetur, causâ ipsâ vel amabili compositioni, vel iuris disceptationi submissâ.

Veruntamen si neutro horum modorum intra spatium trium annorum terminetur controversia, teneantur omnes et singuli huius Transactionis consortes, iunctis cum parte laesa consiliis viribusque arma sumere ad repellendam iniuriam a passo moniti, quod nec amicitiae, nec iuris viâ locum invenerit, salvâ tamen de caetero uniuscuiusque iurisdictione, iusticiaeque iuxta cuiusque Principis aut Status leges et Constitutiones competenti administratione. Et nulli omnino Statuum Imperii liceat ius suum vi vel armis persequi, sed si quid controversiae sive iam exortum sit, sive posthac inciderit, unusquisque iure experiat, secus faciens reus sit fractae Pacis. Quae vero iudicis sententiâ definita fuerint, sine discrimine Statuum executioni mandentur, prout Imperii leges de exequendis sententiis constituunt.

Ut etiam Pax publica tanto melius conservari possit redintegrentur Circuli, et statim ac undecunque turbarum vel motuum aliqua initia apparent, observentur ea, quae in Constitutionibus Imperii de Pacis publicae executione et conservatione disposita sunt.

Quoties autem milites quâvis occasione, aut quocumque tempore, per aliorum Territoria aut fines aliquis ducere velit, transitus huiusmodi instituatur eius, ad quem transeuntes milites pertinent, sumptu, atque adeo sine maleficio, damno et noxa eorum, quorum per territoria ducuntur, ac denique omnino observentur, quae de conservatione Pacis Publicae Imperii Constitutiones decernunt et ordinant.

¹⁾ et singuli fehlt im Wiener Exemplar.

Sub hoc praesenti Pacis Tractatu comprehenduntur illi qui ante permutationem ratificationis, vel inter sex menses postea ab una alteraque parte ex communi consensu nominabuntur, interim tamen utriusque placito comprehenditur Respublica Veneta, uti mediatrix huius Tractatus. Ducibus quoque Sabaudiae, et Mutinae, quod pro Rege Christianissimo in Italia bellum gesserint, et etiam nunc gerant, nullum unquam adferat praeiudicium.

In quorum omnium et singulorum fidem maiusque robur, tam Caesarei, quam Regii Legati, nomine verò omnium Electorum, Principum ac Statuum Imperii ad hunc actum specialiter ab ipso (vigore conclusi die decimâ tertiâ Octobris anni infra mentionati facti, et ipsâ die subscriptionis sub Sigillo Cancellariae Moguntinae, Legato Gallico extraditi) Deputati, nimirum Electoralis Moguntinus, Dominus Nicolaus Georgius de Reigersperg, Eques, Cancellarius. Electoralis Bavaricus, Dominus Ioannes Adolphus Krez, Consiliarius intimus. Electoralis Brandenburgicus, Dominus Ioannes Comes in Sain et Witgenstain, Dominus in Homburg et Vallendar, Consiliarius intimus. Nomine Domus Austriae, Dominus Georgius Ulricus Comes à Wolckenstain, Consiliarius Caesareo-Aulicus. Dominus Cornelius Gobelius, Episcopi Bambergensis Consiliarius. D. Sebastianus¹⁾ Meel, Episcopi Herbipolensis Consiliarius intimus. D. Ioannes Ernestus, Ducis Bavariae Consiliarius Aulicus. Dominus Wolfgangus Conradus à Tumbshirn, Consiliarius Aulicus Saxonico-Altenburgensis et Coburgensis. Dominus Augustus Carpovius, Consiliarius Saxonico-Altenburgensis et Coburgensis. Dominus Ioannes Frombold, Domus Brandenburgicae, Culmbacensis et Onolzbacensis, Consiliarius intimus. Dominus Henricus Langerbeck, Iurisconsultus, Domus Brunsvico-Lunaeburgicae Lineae Cellensis Consiliarius intimus. Dominus Iacobus Lampadius, Iurisconsultus, Lineae Calenbergensis Consiliarius intimus et Pro-Cancellarius. Nomine Comitum Scamni Wetteraviensis, Dominus Matthaeus Wesenbecius, Ictus et Consiliarius. Nomine utriusque Scamni,²⁾ Dominus Marcus Otto Argentoratensis, Dominus Ioannes Iacobus Wolff, Ratisbonensis, Dominus David Gloxinus, Lubecensis, et Dominus Iodocus Christophorus Kress à Kressenstain, Norimbergensis Reipublicae respectivè Syndici, Senatores, Consilarii et Advocati, praesens Pacis Instrumentum manibus sigillisque propriis muniverunt ac firmarunt,

¹⁾ fehlt Wilhelmus im Wiener Exemplar.

²⁾ fehlt Civitatensis im Wiener Exemplar.

dictique Ordinum Deputati Principalium suorum Ratificationes formulâ conventa, termino supra constituto sese extradituros polliciti sunt. Reliquis Statuum Plenipotentariis liberum relinquendo, velint an nolint nomina sua subsignare, suorumque Principalium ratiabitiones accersere: sed hoc pacto atque lege, ut subscriptione iam nominatorum Deputatorum reliqui Status omnes et singuli, qui subscriptione et ratiabitione supersedent, tam firmiter ad observantiam et manutenentiam eorum, quae in hoc Pacificationis instrumento continentur, obligati sint, ac si ab ipsis subscriptio fuerit facta et exhibita ratificatio: nec ulla à Directorio Imperii Romani contra subscriptionem à memoratis Deputatis factam recipiatur aut valeat vel Protestatio vel contradictio. Acta sunt haec Monasterii Westphalorum Die vigesima quarta Mensis Octobris Anno Christi Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Octavo.

*Sequitur Exemplum Plenipotentiae Domini
Imperatoris.*

Nos FERDINANDUS Tertius Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae et Wirtembergae etc. Comes Tyrolis etc. Universis et singulis quorum interest aut quomodolibet interesse potest, notum testatumque facimus. Postquam ab aliquo tempore, primum inter divum Patrem Nostrum Serenissimum ac Potentissimum Principem, Dominum Ferdinandum secundum Romanorum Electum Imperatorem semper Augustum, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc. Regem, Archiducem Austriae, Ducem Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae et Wirtembergae, Comitem Tyrolis etc. Pientissimae et Gloriosissimae memoriae; Deinde inter Nos sociosque Nostros ab unâ parte, et Serenissimum ac Christianissimum quondam Principem, Dominum Ludovicum Regem Franciae, etc. Affinem et Fratrem nostrum Charissimum, ac post eius è vitâ decessum, inter modernum Serenissimum ac Christianissimum Principem, Dominum Ludovicum Regem Franciae Consanguineum et Fratrem nostrum Charissimum, sive eius pro tempore Tutricem et Regni Administratricem, Serenissimam ac Christianissimam Principem, Dominam Annam Reginam Franciae, etc. Viduam, Consobrinam

et Affinem nostram Charissimam, eiusque Confoederatos et adhaerentes ex alterâ parte, non sine multâ sanguinis Christiani profusione, et multarum Germaniae Provinciarum desolatione, armis satis vehementer sit decertatum; Nuper verò ad Tractatus super compositione eiusmodi motuum Monasterii Westphalorum instituendos, ex partium utrinque belligerantium conventionione, dies undecima Iulii Anni Millesimi Sexcentesimi quadragesimi tertii indicta fuerit. Hinc Nos ex nostrâ parte nihil eorum, quae ad promovendum et concludendum tam salutare negotium, Pacem scilicet Universalem, ullo modo pertinere possunt, desiderari volentes, praeter Illustrem et Magnificum, nec non Honorabilem, Doctum, Nostros et Sacri Imperii Fideles, Dilectos Ioannem Ludovicum Comitem in Nassau, Catzenelbogen, Vianden et Dietz, Dominum in Beilstein, Equitem Aurei Velleris, et Isacum Volmar Iuris utriusque Doctorem, Nostros respectivè Consiliarium Arcanum et Camerae Nostrae Superioris Austriae Praesidem, iam ante a Nobis constitutos Plenipotentarios, etiam Illustri et Magnifico Nostro et Sacri Imperii Fideli Dilecto, Maximiliano Comiti a Trautmanstorff et Weinsperg, Baroni in Gleichenberg, Neostadii ad Cocrum, Negau, Burgau et Tozenbach, Domino in Teinitz, Equiti Aurei Velleris, Consiliario Nostro secreto, Camerario et Supremo Aulae Praefecto, tanquam Primario Nostro Plenipotentario, plenam ac sufficientem potestatem tribuerimus, prout hisce animo deliberato tribuimus, ad comparandum dicto loco, congregiendumque Nostro nomine per se vel per subdelegatos suos cum iis, quos dictus Serenissimus Rex Franciae Christianissimus, sive dicta Serenissima Regina Vidua, Tutrix ac Regens ad hanc rem legitimis ac sufficientibus mandatis ac Plenipotentia instructos constituerit, aut imposterum constituere poterit, Commissariis sive Plenipotentariis ad tractandum, agendum et statuendum, de viis, mediis ac conditionibus omnibus, quibus propositus utrinque scopus, Amicitiae nimirum et Pacis redintegratio obtineri ac stabiliri possit, nec non ubi super his, ad eandem Pacem Nostro nomine cum iisdem concludendum et confirmandum. Praeterea tribuimus dictis Plenipotentariis Nostris plenam ac sufficientem facultatem ibidem conferendi, tractandi et concludendi dictam Pacem cum Confoederatis et adhaerentibus praedicti Christianissimi Regis. Quicquid igitur dictus Comes a Trautmannstorff, Comes a Nassau, et Doctor Volmar Nostri Commissarii, simul, vel uno eorum impedito, aut absente, duo ex iisdem cum adversae partis Commissariis vel eorum subdelegatis in hunc

finem per se sive per suos subdelegatos tractaverint, egerint ac statuerint, id Nos intra tempus per Nostros Plenipotentiariorum conventum, omni meliori modo ratum gratumque habituros vigore harum Imperiali ac inviolabili fide promittimus. In quorum fidem roburque praesentes manu Nostrâ subscriptas Sigillo Nostro Imperatorio firmari iussimus. Datum in arce Nostrâ Lincii, die quarta Mensis Octobris, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quadragésimo quinto, Regnorum Nostrorum Romani nono, Hungarici vigesimo, Bohemici vero decimo octavo.

FERDINANDUS.

V^o Ferdinandus Comes Curtius.

Super plicatura membranae.

Ad Mandatum

Sac. Caes. Maiestatis proprium

Joan. Walderode.


Appensum sigillum maius in cera rubra.

Sequitur Exemplum Plenipotentiae Domini


Regis Galliarum.

Louis par la grace de Dieu Roy de France et de Navarre, à tous ceux qui ces présentes lettres verront, salut. Entre tous les biens dont Dieu qui en est la source remplit les peuples, celuy de la paix estant le plus grand, les Roys et Princes Chrestiens, sont d'autant plus obligez de la procurer à tous leurs subiets, d'espargner leur sang, et faire cesser tous les maux, qui sont inséparables de la guerre. C'est ce qui avoit porté le feu Roy Louis le Juste de glorieuse memorie, Nostre très-honoré Seigneur et Père d'entendre aux ouvertures qui luy furent faites d'une Paix Generale, et bien qu'il soit decédé lorsque son autorité estoit plus necessaire pour accomplir cette sainte intention, et que sa mort donnast subiet d'appréhender la continuation des troubles de l'Europe, cette crainte a cessé, et l'on a bien espéré du public, lors qu'on a veu la Régence de nostre Royaume déferée à la Reyne Nostre très-honorée Dame et Mere, dont la pieté et les aultres vertus vraiment Royales sont cognues d'un chacun, et comme pour aviser aux moiens de parvenir à la dicte Paix Generale et icelle traicter, conclurre et arrester, il est nécessaire de commettre de Nostre part quelques personnages d'émillante dignité et capacité sur l'experience, fidelité, et affection desquels Nous nous puissions reposer d'une affaire de si haulte importance, qui em-

brasse les interestz de tant de Roys, Princes et Republiques; Scavoir faisons, que pour les bonnes et grandes qualitez qui se recontrent éz personnes, de nostre très-cher et très-amié Cousin Henry d'Orleans, Duc de Longueville et d'Estouteville, Duc et Pair de France, Prince et Comte Souverain de Neuchastel, Comte de Dunois, et de Tancarville, Connestable héréditaire de Normandie, Gouverneur et nostre Lieutenant-General audict pays, Capitaine de cent hommes d'armes de noz ordonnances, Chevallier de Nos Ordres, et l'un de noz Ministres d'Estat: de nostre très-cher et féal le Sr. Claude de Mesme, Comte d'Avaux, Commandeur de nosdites Ordres, Surintendant des Finances de France, aussy Ministre d'Estat; et de Nostre bien amié et féal le Sr. Abel Seruien, Comte de la Roche des Aubiers, Conseiller en tous noz Conseils, qui ont rendu de grands services au feu Roy Nostre très-honoré Seigneur et Père, dedans et dehors le Royaume et en qui nous avons une plaine et entière confiance. Pour ces causes et autres bonnes et iustes considérations, à ce Nous mouvans de l'advis de la Reyne Régente Nostre trèshonorée Dame et Mere, et de Nostre tres-Cher et tres-amié Oncle le Duc d'Orleans, de Nostre tres-Cher et tres-amié Cousin le Prince de Condé, et de nostre très-Cher et très-amié Cousin le Cardinal Mazarin, de plusieurs Princes, Ducs, Pairs, et Officiers de nostre Couronne, et aultres grands et notables personnages de nostre Conseil, Nous avons iceluy nostre dit Cousin le Duc de Longueville en qualité de nostre premier Ambassadeur Extraordinaire et Plenipotentiaire, et les Sieurs Comtes d'Avaux et de Seruien aussy en qualité de Noz Ambassadeurs Extraordinaires et Plenipotentiaires pour la Paix Generale, commis, ordonné et député, commençons, ordonnons et députons, par ces présentes signées de nostre main et leur avons donné et donnons plain et absolu pouvoir, commission et mandement special de se transporter en Allemagne et conferer en la ville de Munster, avec les Deputez Plenipotentiaires de noz très-cher et très-amés Freres et Oncles, l'Empereur des Romains et le Roy Catholique, muniz de pouvoir suffisant, des moyens de terminer et pacifier les diferens, qui ont causé la Guerre iusques à présent, en traicter et convenir ensemblement, et sur iceux conclurre une bonne et seure Paix, et de plus Nous donnons plain et absolu pouvoir à nos d^{ts} Plenipotentiaires de traicter et conclurre la d^{te} Paix au dit lieu avec les Confoederéz et adhérens des d^{ts} Empereur et Roy Catholique, passer tels traictez et actes qu'ilz aviseront bon estre, bailler tels passeports et saufconduicts




Louis, et sur le reply, Par Le Roy -
La Reyne Regente sa mere presenté
De Lomenie, et sceellé du grand
Sceau en cire faulne.



Johannes Leodivinus
Comes de Nassau

Johannes Volmar

Nomine Domini Electoris Moguntini
Nicolai Georgii Gaigensperger
Nomine Domini Electoris Bavarice
Johannes Adolphus Krebs
Nomine Domini Electoris Saxonie
Johannes Leodivinus
Nomine Domini Electoris Brandenburgici
Johannes Pöwer in Sani & Wittgenstein



que besoin sera pour la seureté des allans et venans pour le faict dudit traicté, et généralement faire, negotier, promettre et accorder par Nos d^{ts} Ambassadeurs et Plenipotentiaires ou deux d'entre eux, en l'absence, maladie ou autre empeschement de l'un d'iceux tout ce qu'ilz iugeront nécessaire, pour le susd^t effect de la Paix universelle, tout ainsy et avec la mesme authorité que Nous mesmes ferions et pourrions faire si Nous y estions présens en personne, jacoit qu'il y eust chose qui requist mandement plus special, qu'il n'est contenu en ces présentes. Promettons en foy et parolle de Roy, et soubz l'obligation et hypotéque de tous nos biens présens et à venir, de tenir ferme et accomplir, ce qui aura par eux esté ainsy stipulé, accordé, et promis, et en faire expedier toutes lettres de ratification dans le temps qu'ilz seront obligez de les fournir. Car tel est nostre plaisir. En tesmoin de quoy, Nous anons faict mettre nostre sceel à ces présentes. Donné à Paris le ving^e jour de Septembre l'an de grace mil six cens quarante trois et de nostre Regne le premier. Signé Louis, et sur le reply; Par le Roy la Reyne Regente sa Mere présente. De Lomenie, et Sceelé du grand sceau en cire iaulne.

Louis par la grace de Dieu Roy de France et de Navarre. A tous ceux qui ces présentes lettres verront, Salut. Par Noz Lettres patentes du XX. Septembre 1643. Nous aurins (!) donné pouvoir à Nostre tres-cher et tres-amé Cousin Henry d'Orleans Duc de Longueville et d'Estouteville, Prince et Comte Souverain de Neuchastel, Comte de Dunois et de Tancarville, Connestable héritaire de Normandie, Gouverneur et Nostre Lieutenant-General au dit pays à nostre tres-Cher et Feal le Sr Claude de Mesmes Comte d'Avaux, Commandeur de Noz Ordres, Surintendant de noz Finances, et l'un de nos Ministres d'Estat, et à Nostre bien amé et feal le Sr Abel Servien, Comte de la Roche des Aubiers, Conseiller en tous Noz Conseils, de traicter et conclurre la Paix Generale à Munster en qualité de Nos Amhassadeurs Extraordinaires et Plenipotentiaires pour en cas d'absence, maladie ou autre empeschement de l'un d'iceux, estre par les deux aultres promis et accordé tout ce qu'ilz iugeront nécessaire pour l'effect de ladite Paix. Et d'autant que Nostre dit Cousin le Duc de Longueville estant de retour en France, et ledit Sr. Comté d'Avaux prest à partir de Munster, il pourroit naistre quelque difficulté de la part des aultres Plenipotentiaires et des Mediateurs de traicter avec ledit Sr. Comte de Servien

soubz pretexte qu'il demeurera seul pendant quelque temps à l'Assemblée, s'il ne leur apparoissoit de Nostre intention, et desirant faire cesser tout subiet de contestation, et avancer la negotiation et la conclusion du Traicté tout aultant qu'il nous sera possible. A ces causes et aultres bonnes et iustes considerations à ce Nous mouvans, de l'aduis de la Reyne Regente nostre treshonorée Dame et Mere, de Nostre tres-cher et tres-amé Oncle le Duc d'Orleans, de Nostre tres Cher et tres amé Cousin le Prince de Condé, de Nostre tres-cher et tres-amé Cousin le Cardinal Mazarin, et aultres grands et notables personnages de Nostre Conseil, Nous avons dict et déclaré, disons et declaron par ces présentes signées de Nostre main, que Nous voulons et entendons que ledit Sr. Comte de Servien continue d'agir seul en ladite qualité de Nostre Ambassadeur Extraordinaire et Plenipotentiaire, tout ainsy qu'il auroit faict ou peu faire conioinctement avec ledit Sr. Comte d'Avaux, tant en vertu dudit pouvoir du XX. Septembre, que des présentes, les quelles serviront audit Sr. Comte de Servien pendant le temps qu'il demeurera seul audit lieu de Munster, et auquel en tant que besoin est ou seroit, Nous avons de nouveau donné, et donnons pouvoir special de negotier, promettre, accorder, et signer seul tous Traictez et Articles, et faire tout ce qu'il ingera necessary pour l'effect de ladite Paix universelle, tout ainsy et avec la mesme authorité, que Nous mesmes ferions et pourrions faire, si Nous y estions présens en personne: jacoit que les cas requist mandement plus special, qu'il n'est contenu en ces dits présentes. Promettons en foy et parolle de Roy, et soubz l'obligation et hypothèque de tous Noz biens présens et à venir, de tenir ferme et accomplir, ce qui aura esté par ledit Sr. Comte de Servien seul ainsy stipulé, accordé et promis. En tesmoin de quoy Nous avons faict mettre Nostre sceel a ces dits présentes. Car tel est Nostre plaisir. Donne à Paris le ving^e iour de Mars l'an de Grace mil six cens quarante huit et de Nostre Regne le cinquiesme. Signé, Louis. Et sur le reply: Par le Roy la Reyne Regente sa Mere présente, De Lomenie, et Sceelé, du Grand sceau en cire iaulne etc.

L. S. Iohannes Ludovicus Comes de Nassaw. L. S. Servien.

L. S. Isaacus Volmar D.

Nomine Domini Electoris Moguntini
(L. S.) Nicolaus Georgius Raigersperger,

- Nomine Domini Electoris Bavariae,
(L. S.) Ioannes Adolphus Krebs,
Nomine Domini Electoris Saxoniae
(L. S.) Ioannes Leuber.¹⁾
- Nomine Domini Electoris Brandenburgici,
(L. S.) Ioannes Comes in Sain et Wittgenstein etc.
- Nomine Domus Austriacae,
(L. S.) Georgius Udalricus Comes in Wolkhenstein et Rodenegg.
- Nomine Domini Episcopi Bambergensis,
(L. S.) Cornelius Gobelius.
- Nomine Domini Episcopi Herbipolensis, Ducis Franconiae.
(L. S.) Sebastianus Wilhelmus Meel,
- Nomine Domini Ducis Bavariae, etc.
(L. S.) Ioannes Ernestus, Ictus,
- Nomine Domini Ducis Saxoniae Lineae Aldenburgensis,
(L. S.) Wolfgangus Cunradus à Thumbshirn, Consiliarius Aldenburgensis et Coburgensis.
- Nomine Domini Ducis Saxoniae etc. Lineae Aldenburgensis,
(L. S.) Augustus Carpzou, D. Consiliarius Aldenburgensis et Coburgensis.
- Nomine Domini Marchionis Brandenburgici Culmbacensis,
(L. S.) Matthaeus Wesenbecius Consiliarius Elect. Brand. intimus.
- Nomine Domini Marchionis Brandenburgici-Onolsbacensis,
(L. S.) Iohannes Fromhof, Consiliarius intimus.
- Nomine Domini Ducis Brunsvico-Lunae-burgensis Cellensis,
(L. S.) Henricus Saugenbeck, Consiliarius intimus.
- Nomine Domini Friderici, Ducis Brunsvico-Lunenburgensis Grubenhagensis,
(L. S.) Iacobus Lampadius, Ictus.
- Nomine Domini Ducis Brunsvico-Lunenburgici Guelpherbitani,
(L. S.) Chrysostomus Cöler, D. et Consiliarius.
- Nomine Domini Ducis Brunsvico-Lunenburgici Calenbergensis,
(L. S.) Iacobus Lampadius, Ictus, Consiliarius intimus et Pro-Cancellarius.

¹⁾ Nomini — Saxoniae — Leuber fehlt in v. Meterns Abdruck des Stofhofmer Exemplars.

- Nomine Domini Ducis Megapolitano-Suerinensis, proprio; Et tutorio nomine Domini Ducis Megapolitano-Gustroviensis,
(L. S.) Abraham Stenjer, D. Consiliarius intimus.
- Nomine Domini Electoris Brandenburgici, tanquam Ducis Pomeraniae, Stetini.
(L. S.) Matthaeus Wesenbecius, qui supra.
- Nomine Domini Electoris Brandenburgici tanquam Ducis Pomeraniae Wolgasti.
(L. S.) Iohannes Fromhof, Consiliarius intimus.
- Nomine Domini Ducis Wurtembergici,
(L. S.) Iohann Conrad Varnbüler, à Consiliis Regiminis Secretioribus.
- Nomine Dominae Landgraviae Hasso-Cassellanae viduae,
(L. S.) Adolphus Wilhelmus de Crosieg, Consiliarius intimus.
- Nomine Domini Landgravii Hasso-Darmstad.
(L. S.) Ioannes Iacob Wolff à Todtenwartt, Consiliarius.
- Nomine Domini Marchionis Badensis-Durlacensis,
(L. S.) Ioannes Georgius de Merckelbach, Consiliarius.
- Nomine Domini Marchionis Baden-Badensis.
(L. S.) Ioannes Iacobus Datt in Dieffenau.
- Nomine Domini Ducis Saxo-Lawenburgici.
(L. S.) David Gloxin D.
- Nomine Domini Ducis Wurtembergici tanquam Comitis Mompelgardensis,
(L. S.) Iohann Conrad Varnbüler,
- Nomine Dominorum Comitum et Baronum Scamni Wetteravici,
(L. S.) Matthaeus Wesenbecius, qui supra,
- Nomine Dominorum Comitum et Baronum Scamni Franconici,
(L. S.) Iohann Conrad Varnbüler,
- (L. S.) Nomine Reipublicae Argentinensis, eiusdem Consil. et Advocatus Marcus Otto I. U. D. idemque nomine Civitatis Spirensis, Weisenburgensis ad Rhenum et Landaviensis.
- (L. S.) Nomine Reipub. Ratisbonensis, Ioannes Iacob Wolff à Todtenwartt, Consil. et Syndicus.

(L. S.) Nomine Reipublicae Lubecensis, David Gloxin, U. I. D. Syndicus. Idemque nomine Civitatum Goslar et Northusen.


(L. S.) Nomine Reipublicae Noribergensis, Iodocus Christophorus Kress à Kressenstein eiusdem Senator, ut et respectu Civitatum Winshaimensis et Schweinfurtensis.

(L. S.) Nomine Liberarum Civitatum Hagenoae, Colmariae, Selestadii, Ober-Ehenhemii, Keisersbergae, Monasterii in Valle S. Gregorii, Roshemii et Turinghemii, Iohann Balthasar Schneider, Syndicus Colmariensis et Oppidi Sanctae Crucis Praefectus.

(L. S.) Nomine Reipublicae Ulmensis itemque nomine Civitatis Giengensis, Aalensis et Bopfingensis. Ulmensis, Marcus Otto, D.

(L. S.) Nomine Civitatis Imper. Liberae Tremoniensis Georgius Kumpsthovius, Syndicus.

(L. S.) Nomine Liberarum Imperii Civitatum Esslingensis, Reutlingensis, Hallensis Suevorum, Heilbronnensis, Lindaviensis ad Lacum Bodamicum, Campidonensis, Weisseburgensis in Noricis, et Wimpinensis, Valentinus Heider D.



Beschreibung der Friedensurkunden nach Mittheilungen aus dem K. u. K. Haus-, Hof- und Staatsarchive Wien.

1. Das Osnabrückische Instrument des Westfälischen Friedens ddo. 14/24. October 1648 ist ein Pergamentband in klein folio (31.5 × 20.5 cm) und besteht aus 114 Papierblättern, von denen die ersten 2 nicht bezeichneten Bll. als Vorsteckblätter dienen; darauf folgen 108 von alter Hand paginirte Bll. (pag. 1—217, wobei pag. 177—178 übersprungen sind), und den Schluss bilden 4 wieder nicht bezeichnete Bll.

Das Wasserzeichen des starken, gelblich-weissen Papiers stellt ein Schildchen mit einem kleinen Posthorn vor.

Der Text des Friedens-Instruments beginnt auf dem dritten Blatte (pag. 1) und reicht bis auf die Vorderseite des 110 Blattes (pag. 217) wo die Unterschriften und Pettschaft-Abdrücke beginnen, die bis auf das viertletzte Blatt reichen. Die letzten 3 Bll. sind leer gelassen. Unterhalb der ersten fünf Siegelabdrücke, die dem Grafen Trautmansdorf, Joh. Oxenstierna, Joh. Max. Gf. Lamberg, Joh. Adler Salvius und Joh. Crane angehören, ist eine gelb-blau-silberne Seidenschnur gezogen, die durch sechs kreisrunde Löcher des Pgt.-Umschlags zu Tage tritt und sich einigemale um den Buchrücken schlingt. Die gelbblauen Seidenbändchen, die ehemals zum Schliessen des Bandes gedient haben, sind jetzt abgerissen. Auf dem Vorderdeckel steht von alter Hand: „Pax Germano-Suecia 1648 Osnabrugensis.“

2. Das Münstersche Instrument des Westfälischen Friedens ddo. 14/24. October 1648 ist ein Papierheft in klein folio (33.3 × 23.3 cm) und besteht aus 76 von gleichzeitiger Hand foliirten Bll. und aus 6 nicht bezeichneten Bll., also im Ganzen aus 82 Bll., die in vier ungleichen Lagen (zu 24, 28, 24 und 6 Bll.) gefaltet sind; sie werden durch blaue und rothe Seidenbändchen zusammengehalten.

Das Wasserzeichen stellt einen von Lorberzweigen umgebenen Schild mit 3 Ringen, die durch gerade Linien mit einander verbunden sind, vor.

Der Text des Friedensinstrumentes beginnt fol. 1a und reicht bis fol. 75b, worauf die Unterschriften mit den Siegelabdrücken auf fol. 76ab und dem ersten nicht bez. Blatte folgen.

Als Umschlag dient ein farbig-marmorirtes Papier.

